

**Prof. Dr. Ulrich Eigler**  
**Vorlesung HS 11**  
**Cicero und das Ende der römischen Republik**  
**Programm**

1.	22.09.11	<b>Cicero: Biographie und Werk</b>  Lit.: Canfora, 2000; Fuhrmann, 2000	<b>Text 1:</b> Cic. <i>div.</i> 2, 1-6 <b>Text 2:</b> Cic. <i>de orat.</i> 2, 1 <b>Text 3:</b> Plut. <i>Cic.</i> 2
2.	29.09.11	<b>Keine <i>eloquentia</i> ohne <i>doctrina</i>, keine Rhetorik ohne Philosophie: Cicero der Musterschüler</b>	<b>Text 1:</b> Cic. <i>Brut.</i> 205-207 <b>Text 2:</b> Cic. <i>Brut.</i> 212-216 <b>Text 3:</b> Cic. <i>Quinct.</i> 77-80 <b>Text 4:</b> Cic. <i>fin.</i> 5, 1-5 <b>Text 5:</b> Cic. <i>Att.</i> 1, 5 (1), 8
3.	06.10.11	<b><i>Cursus honorum</i>: Das harte Brot des <i>homo novus</i></b>	<b>Text 1:</b> Cic. <i>Planc.</i> 65 <b>Text 2:</b> Cic. <i>Pis.</i> 2-7 <b>Text 3:</b> Cic. <i>or. frg.</i> 1 (Schoell) <b>Text 4:</b> Plut. <i>Cic.</i> 6, 3
4.	13.10.11	<b><i>Vivere in oculis populi Romani</i>: Möglichkeiten und Gefahren der politischen Karriere</b>	<b>Text 1:</b> Cic. <i>Planc.</i> 1-3 <b>Text 2:</b> Cic. <i>Planc.</i> 66
5.	20.10.11	<b>Pompeius: Der <i>global player</i> als <i>local hero</i></b>	<b>Text 1:</b> Cic. <i>Manil.</i> 22-26 <b>Text 2:</b> Cic. <i>Manil.</i> 29-33
6.	27.10.11	<b><i>Orationes consulares</i>: Cicero als Konsul und Orator</b>	<b>Text 1:</b> Cic. <i>leg. agr.</i> 2, 5 <b>Text 2:</b> Ascon. <i>tog. cand.</i> 82-83 <b>Text 3:</b> Cic. <i>Att.</i> 2, 1, 1-3
7.	03.11.11	<b>Triumph und Fall: die <i>orationes Catilinae</i></b>	<b>Text 1:</b> Cic. <i>Catil.</i> 4, 20-23 <b>Text 2:</b> Sall. <i>Catil.</i> 29
8.	10.11.11 (Beginn s.t.)	<b><i>Epistula non erubescit</i>: Ciceros Bemühen um Rechtfertigung und Rettung des Ruhmes</b>	<b>Text 1:</b> Cic. <i>fam.</i> 5, 12, 1-3 <b>Text 2:</b> Cic. <i>Arch.</i> 26-28
9.	17.11.11 (Beginn s.t.)	<b><i>Res publica amissa?</i>: Cicero im Rom des Pompeius</b>  Lit.: Bringmann, 2002, 113ff.	<b>Text 1:</b> Cic. <i>rep.</i> 1, 42-47 <b>Text 2:</b> Cic. <i>Att.</i> 2, 6, 1 <b>Text 3:</b> Cic. <i>Att.</i> 4, 8 (9) <b>Text 4:</b> Cic. <i>Att.</i> 4, 18 (20)
10.	24.11.11 (Beginn s.t.)	<b>Tanz auf dem Vulkan: Cicero in Kilikien und Caesar am Rubicon</b>	<b>Text 1:</b> Cic. <i>Att.</i> 5, 1 <b>Text 2:</b> Cic. <i>fam.</i> 2, 10 <b>Text 3:</b> Cic. <i>Att.</i> 7, 11
11.	01.12.11 (Beginn s.t.)	<b>Der Weise und der Mächtige: Ciceros zweiter Rückzug in das <i>otium</i></b>	<b>Text 1:</b> Cic. <i>Att.</i> 13, 12 (24) <b>Text 2:</b> Cic. <i>fin.</i> 3, 73-76
12.	08.12.11 (Beginn s.t.)	<b>Zwischen <i>oratio consularis</i> und <i>laudatio funebris</i>: Die letzte Rede Ciceros</b>  Lit.: Blom, 2003	<b>Text 1:</b> Cic. <i>Phil.</i> 14, 31-35 <b>Text 2:</b> Cic. <i>fam.</i> 11, 20 <b>Text 3:</b> Cic. <i>off.</i> 2, 1-4
13.	15.12.11 (Beginn s.t.)	<b>Tod und Verklärung: Ciceros Weg in die Geschichte</b>  Lit.: Schmidt, 1978; Friedrichs, 2000, Zielinski, 1912, 172; Homeyer	<b>Text 1:</b> Cic. <i>ad Caes. iun.</i> 23 B (ed. W.S. Watt) = Non. p. 436.17 <b>Text 2:</b> Livius bei Sen. <i>suas.</i> 6, 17 <b>Text 3:</b> Petrar. <i>Fam.</i> 24, 3 <b>Text 4:</b> Petrar. <i>Fam.</i> 24, 4
14.	22.12.11	wird in den vorangegangenen sechs Lektionen vorgeholt	

**Prof. Dr. Ulrich Eigler**  
**Cicero und das Ende der römischen Republik**  
**1. Kollegstunde (22.09.11)**  
**Cicero: Biographie und Werk**

**Texte:** Text 1: Cic. *div.* 2, 1-6  
Text 2: Cic. *de orat.* 2, 1  
Text 3: Plut. *Cic.* 2

**Text 1:** Cic. *div.* 2, 1-6 (ed. Giomini, 1975 (Teubner))

**1** Quaerenti mihi multumque et diu cogitanti, quanam re possem prodesse quam plurimis, ne quando intermitterem consulere rei publicae, nulla maior occurrebat, quam si optimarum artium vias traderem meis civibus; quod compluribus iam libris me arbitror consecutum. nam et cohortati sumus ut maxime potuimus, ad philosophiae studium eo libro, qui est inscriptus Hortensius, et, quod genus philosophandi minime adrogans maximeque et constans et elegans arbitraremur, quattuor Academicis libris ostendimus. **2** cumque fundamentum esset philosophiae positum in finibus bonorum et malorum, perpurgatus est is locus a nobis quinque libris, ut, quid a quoque, et quid contra quemque philosophum diceretur, intellegi posset. totidem subsecuti libri Tusculanarum disputationum res ad beate vivendum maxime necessarias aperuerunt. primus enim est de contemnenda morte, secundus de tolerando dolore, de aegritudine lenienda tertius, quartus de reliquis animi perturbationibus, quintus eum locum complexus est, qui totam philosophiam maxime inlustrat: docet enim ad beate vivendum virtutem se ipsa esse contentam. **3** quibus rebus editis tres libri perfecti sunt de natura deorum, in quibus omnis eius loci quaestio continetur. quae ut plane esset cumulateque perfecta, de divinatione ingressi sumus his libris scribere; quibus, ut est in animo, de fato si adiunxerimus, erit abunde satis factum toti huic quaestioni. atque his libris adnumerandi sunt sex de re publica, quos tum scripsimus, cum gubernacula rei publicae tenebamus: magnus locus philosophiaeque proprius a Platone, Aristotele, Theophrasto totaque Peripateticorum familia tractatus uberrime. nam quid ego de Consolatione dicam? quae mihi idem ipsi sane aliquantum medetur, ceteris item multum illam profuturam puto. interiectus est etiam nuper liber is, quem ad nostrum Atticum de senectute misimus; in primisque, quoniam philosophia vir bonus efficitur et fortis, Cato noster in horum librorum numero ponendus est. **4** cumque Aristoteles itemque Theophrastus, excellentes viri, cum subtilitate, tum copia, cum philosophia dicendi etiam praecepta coniunxerint, nostri quoque oratorii libri in eundem librorum numerum referendi videntur: ita tres erunt de oratore, quartus Brutus, quintus orator.

Adhuc haec erant; ad reliqua alacri tendebamus animo sic parati, ut, nisi quae causa gravior obstitisset, nullum philosophiae locum esse pateremur, qui non Latinis litteris inlustratus pateret. quod enim munus rei publicae adferre maius meliusve possumus, quam si docemus atque erudimus iuventutem, his praesertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapsa est, ut omnium opibus refrenanda ac coercenda sit? **5** Nec vero id effici posse confido, quod ne postulandum quidem est, ut omnes adulescentes se ad haec studia convertant. pauci utinam! quorum tamen in re publica late patere poterit industria. equidem ex iis etiam fructum capio laboris mei, qui iam aetate proveci in nostris libris adquiescunt; quorum studio legendi meum scribendi studium vehementius in dies incitatur; quos quidem plures, quam rebar, esse cognovi. Magnificum illud etiam Romanisque hominibus gloriosum, ut Graecis de philosophia litteris non egeant; **6** quod adsequar profecto, si instituta perfecero.

**Text 2:** Cic. *de orat.* 2, 1-5 (ed. Kumaniecki, 1969 (OCT))

**1** Magna nobis pueris, Quinte frater, si memoria tenes, opinio fuit L. Crassum non plus attigisse doctrinae quam quantum prima illa puerili institutione potuisset, M. autem Antonium omnino omnis eruditionis expertem atque ignarum fuisse; erantque multi qui, quamquam (nequaquam) ita se rem habere arbitrarentur, tamen, quo facilius nos incensos studio discendi a doctrina deterrent, libenter id quod dixi de illis oratoribus praedicarent, ut si homines non eruditi summam essent prudentiam atque incredibilem eloquentiam consecuti, inanis omnis noster esse labor et stultum in nobis erudiendis patris nostri, optimi ac prudentissimi viri, studium videretur. **2** quos tum ut pueri refutare domesticis testibus patre et C. Aculeone propinquo nostro et L. Cicerone patruo solebamus, quod de Crasso pater et Aculeo, quocum erat nostra matertera, quem Crassus dilexit ex omnibus plurimum, et patruus, qui cum Antonio in Ciliciam profectus una decesserat, multa nobis de eius studio doctrinae saepe narravit; cumque nos cum consobrinis nostris, Aculeonis filiis, et ea disceremus, quae Crasso placerent et ab iis doctoribus quibus ille uteretur erudiremur, etiam illud saepe intelleximus, cum essemus eius domi, quod vel pueri sentire poteramus, illum et Graece sic loqui, nullam ut nosse aliam linguam videretur, et doctoribus nostris ea ponere in percontando eaque ipsum omni in sermone tractare, ut nihil esse ei novum, nihil inauditum videretur. **3** de Antonio vero quamquam saepe ex humanissimo homine patruo nostro acceperamus quem ad modum ille vel Athenis vel Rhodi se doctissimorum hominum sermonibus dedisset, tamen ipse adulescentulus, quantum illius ineuntis aetatis meae patiebatur pudor, multa ex eo saepe quaesivi. non erit profecto tibi, quod scribo, hoc novum; nam iam tum ex me audiebas mihi illum ex multis variisque sermonibus nullius rei, quae quidem esset in eis artibus de quibus aliquid existimare possem, rudem aut ignarum esse visum. **4** sed fuit hoc in utroque eorum, ut Crassus non tam existimari vellet non didicisse, quam illa despiciere et nostrorum hominum in omni genere prudentiam Graecis anteferre; Antonius autem probabiliorem hoc populo orationem fore censebat suam, si omnino didicisse numquam putaretur; atque ita se uterque graviorem fore, si alter contemnere alter ne nosse quidem Graecos videretur. **5** quorum consilium quale fuerit, nihil sane ad hoc tempus; illud autem est huius institutae scriptionis ac temporis, neminem eloquentia non modo sine dicendi doctrina, sed ne sine omni quidem sapientia florere umquam et praestare potuisse.

**Text 3:** Plut. *Cic.* 2 (ed. Ziegler, 1959 (Teubner); Üb: Ziegler, 1980 (dtv))

Τεχθῆναι δὲ Κικέρωνα λέγουσιν ἀνωδύνως καὶ ἀπόνως λοχευθείσης αὐτοῦ τῆς μητρὸς ἡμέρα τρίτη τῶν νέων Καλανδῶν, ἐν ἣ νῦν οἱ ἄρχοντες εὐχονται καὶ θύουσιν ὑπὲρ τοῦ ἡγεμόνος. τῇ δὲ τίτθῃ φάσμα δοκεῖ γενέσθαι καὶ προειπεῖν ὡς ὄφελος μέγα πᾶσι Ῥωμαίοις ἐκτρεφούσῃ. ταῦτα δ' ἄλλως ὀνειράτα καὶ φλύαρον εἶναι δοκοῦντα ταχέως αὐτὸς ἀπέδειξε μαντείαν ἀληθινὴν ἐν ἡλικίᾳ τοῦ μανθάνειν γενόμενος καὶ δι' εὐφυΐαν ἐκλάμψας καὶ λαβὼν ὄνομα καὶ δόξαν ἐν τοῖς παισίν, ὥστε τοὺς πατέρας αὐτῶν ἐπιφοιτᾶν τοῖς διδασκαλείοις,

Die Geburt Ciceros ging, wie es heisst, leicht und schmerzlos vonstatten, und zwar kam seine Mutter am 3. Januar nieder, dem Tage, an welchem jetzt die Beamten Gebete und Opfer für den Kaiser darbringen. Seine Amme soll eine Erscheinung gehabt haben, die ihr voraussagte, sie ziehe ein grosses Heil für alle Römer auf. Während sonst derartiges für eitle Träumerei und Geschwätze gilt, bewies er selbst, als er in die Jahre des Lernens kam, dass es eine wahre Prophezeiung war, indem er sich durch eine glänzende Begabung hervortat und unter den Knaben einen solchen Namen und Ruhm erwarb, dass deren Väter in die Schule kamen, um Cicero zu sehen und sich von seiner vielge-

ὄψει τε βουλομένους ἰδεῖν τὸν Κικέρωνα καὶ τὴν ὑμνουμένην αὐτοῦ περὶ τὰς μαθήσεις ὀξύτητα καὶ σύνεσιν ἱστορῆσαι, τοὺς δ' ἀγροικότερους ὀργίζεσθαι τοῖς υἱέσιν, ὀρῶντας ἐν ταῖς ὁδοῖς τὸν Κικέρωνα μέσον αὐτῶν ἐπιτιμῆ λαμβάνοντας. γενόμενος δ', ὥσπερ ὁ Πλάτων ἀξιοῖ τὴν φιλομαθῆ καὶ φιλόσοφον φύσιν, οἷος ἀσπάζεσθαι πᾶν μάθημα καὶ μηδὲν λόγου μηδὲ παιδείας ἀτιμάζειν εἶδος, ἐρρῦη πως προθυμότερον ἐπὶ ποιητικῆν, καὶ τι καὶ διασώζεται ποιημάτων ἔτι παιδὸς αὐτοῦ Πόντιος Γλαῦκος, ἐν τετραμέτρῳ πεποιημένον. προϊῶν δὲ τῷ χρόνῳ καὶ ποικιλώτερον ἀπτόμενος τῆς περὶ ταῦτα μούσης, ἔδοξεν οὐ μόνον ῥήτωρ, ἀλλὰ καὶ ποιητῆς ἄριστος εἶναι Ῥωμαίων. ἡ μὲν οὖν ἐπὶ τῇ ῥητορικῇ δόξα μέχρι νῦν διαμένει, καίπερ οὐ μικρᾶς γεγενημένης περὶ τοὺς λόγους καινοτομίας, τὴν δὲ ποιητικὴν αὐτοῦ, πολλῶν εὐφυῶν ἐπιγενομένων, παντάπασιν ἀκλεῆ καὶ ἄτιμον ἔρρειν συμβέβηκεν.

priesenen Schnelligkeit der Auffassung und Einsicht auf den verschiedenen Wissensgebieten zu überzeugen, und dass die Ungebildeteren unter ihnen auf ihre Söhne böse waren, wenn sie sahen, dass sie auf den Strassen den Cicero, um ihn zu ehren, in ihre Mitte nahmen. Zwar war er – wie Platon es von einer lernbegierigen und philosophischen Natur verlangt – so veranlagt, dass er jeden Wissensstoff gern aufnahm und kein Gebiet der Wissenschaft und Bildung geringschätzte; mit besonderem Eifer aber widmete er sich der Dichtkunst, und es ist ein kleines Gedicht von ihm erhalten, das er noch als Knabe verfasst hat: Pontius Glaucus, in vierfüßigen Trochäen gedichtet. In fortschreitendem Alter befasste er sich noch vielseitiger mit dieser Kunst, so dass er nicht nur als der beste Redner, sondern auch als der beste Dichter unter den Römern galt. Der Ruhm seiner Beredsamkeit lebt noch bis heute fort, obwohl ein nicht geringer Wandel und Fortschritt auf diesem Gebiet stattgefunden hat; seine dichterischen Leistungen aber sind, weil viele hochbegabte Dichter nach ihm gekommen sind, ruhmlos der Vergessenheit anheimgefallen.

**Prof. Dr. Ulrich Eigler**  
**Cicero und das Ende der römischen Republik**  
**2. Kollegstunde (29.09.11)**  
**Keine *eloquentia* ohne *doctrina*, keine Rhetorik ohne Philosophie:**  
**Cicero der Musterschüler**

**Texte:** Text 1: Cic. *Brut.* 205-207  
Text 2: Cic. *Brut.* 212-216  
Text 3: Cic. *Quinct.* 77-80  
Text 4: Cic. *fin.* 5, 1-5  
Text 5: Cic. *Att.* 1, 5 (1), 8

**Text 1:** Cic. *Brut.* 205-207 (ed. Malcovati, 1970 (Teubner))

**205** Sulpici orationes quae feruntur, eas post mortem eius scripsisse P. Cannutius putatur aequalis meus, homo extra nostrum ordinem meo iudicio disertissimus. ipsius Sulpici nulla oratio est, saepeque ex eo audivi, cum se scribere neque consuesse neque posse diceret. Cottae pro se lege Varia quae inscribitur, eam L. Aelius scripsit Cottae rogatu. fuit is omnino vir egregius et eques Romanus cum primis honestus idemque eruditissimus et Graecis litteris et Latinis, antiquitatisque nostrae et in inventis rebus et in actis scriptorumque veterum litterate peritus. quam scientiam Varro noster acceptam ab illo auctamque per sese, vir ingenio praestans omnique doctrina, pluribus et inlustrioribus litteris explicavit.

**206** sed idem Aelius Stoicus (esse) voluit, orator autem nec studuit unquam nec fuit. scribebat tamen orationes, quas alii dicerent; ut Q. Metello (Q.) f., ut Q. Caepioni, ut Q. Pompeio Rufo; quamquam is etiam ipse scripsit eas quibus pro se est usus, sed non sine Aelio.

**207** his enim scriptis etiam ipse interfui, cum essem apud Aelium adolescens eumque audire perstudiose solerem. Cottam autem miror summum ipsum oratorem minimeque ineptum Aelianas leves oratiunculas voluisse existimari suas. his duobus eiusdem aetatis adnumerabatur nemo tertius, sed mihi placebat Pomponius maxime vel dicam minime displicebat. locus erat omnino in maximis causis praeter eos de quibus supra dixi nemini; propterea quod Antonius, qui maxime expetebatur, facilis in causis recipiendis erat; fastidiosior Crassus, sed tamen recipiebat. horum qui neutrum habebat, confugiebat ad Philippum fere aut ad Caesarem; Cotta (tum et) Sulpicius expetebantur. ita ab his sex patronis causae inlustres agebantur; neque tam multa quam nostra aetate iudicia fiebant, neque hoc quod nunc fit, ut causae singulae defenderentur a pluribus, quo nihil est vitiosius.

**Text 2:** Cic. *Brut.* 212-216 (ed. Malcovati, 1970 (Teubner))

**212** Quid Crassum, inquam, illum censes istius Liciniae filium, Crassi testamento qui fuit adoptatus?

Summo iste quidem dicitur ingenio fuisse, inquit; et vero hic Scipio conlega meus mihi sane bene et loqui videtur et dicere.

Recte, inquam, iudicas, Brute. etenim istius genus est ex ipsius sapientiae stirpe generatum. nam et de duobus avis iam diximus, Scipione et Crasso, et de tribus proavis, Q. Metello, cuius quattuor filii, P. Scipione, qui ex dominatu Ti. Gracchi privatus in libertatem rem

publicam vindicavit, Q. Scaevola augure, qui peritissimus iuris idemque percomis est habitus. **213** iam duorum abavorum quam est inlustre nomen, P. Scipionis qui bis consul fuit, qui est Corculum dictus, alterius omnium sapientissimi, C. Laeli!

O generosam, inquit, stirpem et tamquam in unam arborem plura genera sic in istam domum multorum insitam atque †inluminatam† sapientiam!

Similiter igitur suspicor, ut conferamus parva magnis, Curionis, etsi pupillus relictus est, patrio fuisse instituto puro sermone adsuefactam domum; et eo magis hoc iudico, quod neminem ex his quidem, qui aliquo in numero fuerunt, cognovi in omni genere honestarum artium tam indoctum tam rudem. **214** nullum ille poetam noverat, nullum legerat oratorem, nullam memoriam antiquitatis conlegerat; non publicum ius, non privatum et civile cognoverat. quamquam id quidem fuit etiam in aliis et magnis quidem oratoribus, quos parum his instructos artibus vidimus, ut Sulpicium, ut Antonium. sed ei tamen unum illud habebant dicendi opus elaboratum; idque cum constaret ex quinque notissimis partibus, nemo in aliqua parte earum omnino nihil poterat: in quacumque enim una plane clauderet, orator esse non posset; sed tamen alius in alia excellebat magis. **215** reperiēbat quid dici opus esset et quo modo praeparari et quo loco locari, memoriaque ea comprehendebat Antonius, excellebat autem actione; erantque ei quaedam ex his paria cum Crasso, quaedam etiam superiora; at Crassi magis nitebat oratio. nec vero Sulpicio neque Cottae dicere possumus neque cuiquam bono oratori rem ullam ex illis quinque partibus plane atque omnino defuisse. **216** itaque in Curione hoc verissime iudicari potest, nulla re una magis oratorem commendari quam verborum splendore et copia. nam cum tardus in cogitando tum in struendo dissipatus fuit. reliqua duo sunt, agere et meminisse: in utroque cacinnos inridentium commovebat. motus erat is, quem et C. Iulius in perpetuum notavit, cum ex eo in utramque partem toto corpore vacillante quaesivit, quis loqueretur e luntre; et Cn. Sicinius homo impurus sed admodum ridiculus — neque aliud in eo oratoris simile quicquam.

**Text 3:** Cic. *Quinct.* 77-80 (ed. Reeve, 1992 (Teubner))

**77** Diffidebam mehercule, C. Aquili, satis animo certo et confirmato me posse in hac causa consistere. Sic cogitabam, cum contra dicturus esset Hortensius et cum me esset attente auditurus Philippus, fore uti permultis in rebus timore prolaberer. Dicebam huic Q. Roscio, cuius soror est cum P. Quinctio, cum a me peteret et summe contenderet ut propinquum suum defenderem, mihi perdifficile esse contra tales oratores non modo tantam causam perorare sed omnino verbum facere conari. Cum cupidius instaret, homini pro amicitia familiaris dixi mihi videri ore durissimo esse qui praesente eo gestum agere conarentur; qui vero cum ipso contenderent, eos etiam si quid antea recti aut venusti habere visi essent, id amittere; ne quid mihi eiusdem modi accideret cum contra talem artificem dicturus essem me vereri. **78** Tum mihi Roscius et alia multa confirmandi mei causa dixit, ut me hercule si nihil diceret tacito ipso officio et studio quod habebat erga propinquum suum quemvis commoveret; etenim cum artifex eius modi sit ut solus dignus videatur esse qui in scaena spectetur, tum vir eius modi est ut solus dignus esse videatur qui eo non accedat. Verum tamen: „Quid? si,“ inquit, „habes eius modi causam ut hoc tibi planum sit faciendum, neminem esse qui possit biduo aut summum triduo septingenta milia passuum ambulare, tamenne vereris ut possis hoc contra Hortensium contendere?“ „Minime,“ inquam, „sed quid id ad rem?“ **79** „Nimirum,“ inquit, „in eo causa consistit“. „Quo modo?“ Docet me eius modi rem et factum simul Sex. Naevi quod si solum proferretur satis esse deberet. Quod abs te, C. Aquili, et a vobis qui estis in consilio quaeso ut diligenter attendatis. Profecto intellegitis illinc ab initio cupiditatem pugnasse et audaciam, hinc veritatem et pudorem quoad potuerit restitisse.

Bona postulas ut ex edicto possidere liceat: quo die? Te ipsum, Naevi, volo audire; volo inauditum facinus ipsius qui id commisit voce convinci. Dic, Naevi, diem. „A. d. V Kal. intercalares.“ Bene ais. Quam longe est hinc in saltum vestrum Gallicanum? Naevi, te rogo. „DCC milia passuum.“ Optime. De saltu deicitur Quinctius: quo die? possumus hoc quoque ex te audire? Quid taces? Dic, inquam, diem. Pudet dicerem, intellego; verum et sero et nequicquam pudet. Deicitur de saltu, C. Aquili, pridie Kal. intercalares. Biduo post, aut ut statim de iure aliquis cucurrerit non toto triduo, DCC milia passuum conficiuntur. **80** O rem incredibilem! O cupiditatem inconsideratam! O nuntium volucrem! Administri et satellites Sex. Naevi Roma trans Alpes in Sebagninos biduo veniunt. O hominem fortunatum, qui eius modi nuntios seu potius Pegasos habeat! Hic ego si Crassi omnes cum Antoniis exsistant, si tu, L. Philippe, qui inter illos florebas, hanc causam voles cum Hortensio dicere, tamen superior sim necesse est. Non enim, quem ad modum putatis, omnia sunt in eloquentia: est quaedam tamen ita perspicua veritas ut eam infirmare nulla res possit.

**Text 4:** Cic. *fin.* 5, 1-5 (ed. Reynolds, 1998 (OCT))

**1** Cum audissem Antiochum, Brute, ut solebam, cum M. Pisone in eo gymnasio quod Ptolomaeum vocatur unaque nobiscum Q. frater et T. Pomponius L.que Cicero, frater noster cognatione patruelis, amore germanus, constituimus inter nos ut ambulationem postmeridianam conficeremus in Academia, maxime quod is locus ab omni turba id temporis vacuus esset. Itaque ad tempus ad Pisonem omnes. Inde sermone vario sex illa a Dipylo stadia confecimus. Cum autem venissemus in Academiae non sine causa nobilitata spatia, solitudo erat ea quam volueramus. **2** Tum Piso: „Naturane nobis hoc“, inquit „datum dicam an errore quodam, ut, cum ea loca videamus in quibus memoria dignos viros acceperimus multum esse versatos, magis moveamur quam si quando eorum ipsorum aut facta audiamus aut scriptum aliquod legamus? Velut ego nunc moveor. Venit enim mihi Platonis in mentem, quem accepimus primum hic disputare solitum; cuius etiam illi hortuli propinqui non memoriam solum mihi adferunt sed ipsum videntur in conspectu meo ponere. Hic Speusippus, hic Xenocrates, hic eius auditor Polemo, cuius illa ipsa sessio fuit quam videmus. Equidem etiam curiam nostram (Hostiliam dico, non hanc novam, quae minor mihi esse videtur posteaquam est maior) solebam intuens Scipionem, Catonem, Laelium, nostrum vero in primis avum cogitare; tanta vis admonitionis inest in locis; ut non sine causa ex iis memoriae ducta sit disciplina.“

**3** Tum Quintus: „Est plane, Piso, ut dicis“, inquit. „Nam me ipsum huc modo venientem convertibat ad sese Coloneus ille locus, cuius incola Sophocles ob oculos versabatur, quem scis quam admirer quemque eo delecter. Me quidem ad altiorem memoriam Oedipodis huc venientis et illo mollissimo carmine quaenam essent haec ipsa loca requirentis species quaedam commovit, inaniter scilicet, sed commovit tamen.“

Tum Pomponius: „At ego, quem vos ut deditum Epicuro insectari soletis, sum multum equidem cum Phaetro, quem unice diligo, ut scitis, in Epicuri hortis, quos modo praeteribamus, sed veteris proverbii admonitu „vivorum memini“, nec tamen Epicuri licet oblivisci, si cupiam, cuius imaginem non modo in tabulis nostri familiares, sed etiam in pocolis et in anulis habent.“

**4** Hic ego: „Pomponius quidem“, inquam „noster iocari videtur, et fortasse suo iure. Ita enim se Athenis collocavit, ut sit paene unus ex Atticis, ut id etiam cognomen videatur habiturus. Ego autem tibi, Piso, adsentior usu hoc venire ut acrius aliquanto et attentius de claris viris locorum admonitu cogitemus. Scis enim me quodam tempore Metapontum venisse tecum neque ad hospitem ante devertisse quam Pythagorae ipsum illum locum, ubi vitam ediderat, sedemque viderim. Hoc autem tempore, etsi multa in omni parte

Athenarum sunt in ipsis locis indicia summorum virorum, tamen ego illa moveor exhedra. Modo enim fuit Carneadis; quem videre videor (est, enim nota imago), a sedeque ipsa tanta ingeni magnitudine orbata desiderari illam vocem puto.“

**5** Tum Piso: „Quoniam igitur aliquid omnes, quid Lucius noster?“ inquit. „An eum locum libenter invisit ubi Demosthenes et Aeschines inter se decertare soliti sunt? Suo enim quisque studio maxime ducitur.“

Et ille, cum erubisset: „Noli,“ inquit „ex me quaerere, qui in Phalericum etiam descenderim, quo in loco ad fluctum aiunt declamare solitum Demosthenem ut fremitum adsuesceret voce vincere. Modo etiam paulum ad dexteram de via declinavi, ut ad Pericli sepulcrum accederem. Quamquam id quidem, infinitum est in hac urbe; quacumque enim ingredimur, in aliqua historia vestigium ponimus.“

**Text 5:** Cic. *Att.* 1, 5 (1), 8 (ed. Shackleton Bailey, 1987 (Teubner))

Quintum fratrem cottidie exspectamus. Terentia magnos articulorum dolores habet. et te et sororem tuam et matrem maxime diligit salutemque tibi plurimam adscribit et Tulliola, deliciae nostrae. Cura, ut valeas et nos ames et tibi persuadeas te a me fraterne amari.



**Prof. Dr. Ulrich Eigler**  
**Cicero und das Ende der römischen Republik**  
**3. Kollegstunde (06.10.11)**  
***Cursus honorum: Das harte Brot des homo novus***

**Texte:** Text 1: Cic. *Planc.* 65  
Text 2: Cic. *Pis.* 2-7  
Text 3: Cic. *or. frg.* 1 (Schoell)  
Text 4: Plut. *Cic.* 6, 3

**Text 1:** Cic. *Planc.* 65 (ed. Clark, 1984 (OCT))

**65** itaque hac spe decedebam ut mihi populum Romanum ultro omnia delaturum putarem. At ego cum casu diebus eis itineris faciendi causa decedens e provincia Puteolos forte venissem, cum plurimi et lautissimi in eis locis solent esse, concidi paene, iudices, cum ex me quidam quaesisset quo die Roma exissem et num quidnam esset novi. Cui cum respondi me e provincia decedere: „etiam me hercule,“ inquit, „ut opinor, ex Africa.“ Huic ego iam stomachans fastidiose: „immo ex Sicilia,“ inquam. Tum quidam, quasi qui omnia sciret: „quid? tu nescis,“ inquit, „hunc quaestorem Syracusis fuisse?“ Quid multa? destiti stomachari et me unum ex eis feci qui ad aquas venissent.

**Text 2:** Cic. *Pis.* 2-7 (ed. Clark, 1985 (OCT))

**2** Is mihi etiam gloriabatur se omnis magistratus sine repulsa adsecutum? Mihi ista licet de me vera cum gloria praedicare; omnis enim honores populus Romanus mihi ipsi homini detulit. Nam tu cum quaestor es factus, etiam qui te numquam viderant, tamen illum honorem nomini mandabant tuo. Aedilis es factus; Piso est a populo Romano factus, non iste Piso. Praetura item maioribus delata est tuis. Noti erant illi mortui, te vivum nondum noverat quisquam. Me cum quaestorem in primis, aedilem priorem, praetorem primum cunctis suffragiis populus Romanus faciebat, homini ille honorem non generi, moribus non maioribus meis, virtuti perspectae non audita nobilitati deferebat. **3** Nam quid ego de consulatu loquar, parto vis ane gesto? Miserum me! cum hac me nunc peste atque labe confero! Sed nihil comparandi causa loquar ac tamen ea quae sunt longissime disiuncta comprehendam. Tu consul es renuntiatus—nihil dicam gravius, quam quod omnes fatentur—impeditis rei publicae temporibus, dissidentibus consulibus, cum hoc non recusares eis a quibus dicebare consul, quin te luce dignum non putarent, nisi nequior quam Gabinius existisses. Me cuncta Italia, me omnes ordines, me universa civitas non prius tabella quam voce priorem consulem declaravit. Sed omitto ut sit factus uterque nostrum; sit sane Fors domina campi. Magnificentius est dicere quem ad modum gesserimus consulatum quam quem ad modum ceperimus.

**4** Ego Kalendis Ianuariis senatum et bonos omnis legis agrariae maximarumque largitionum metu liberavi. Ego agrum Campanum, si dividi non oportuit, conservavi, si oportuit, melioribus auctoribus reservavi. Ego in C. Rabirio perduellionis reo XL annis ante me consulem interpositam senatus auctoritatem sustinui contra invidiam atque defendi. Ego adulescentis bonos et fortis, sed usos ea condicione fortunae ut, si essent magistratus adepti, rei publicae statum convulsuri viderentur, meis inimicitiiis, nulla senatus mala gratia comitiorum ratione privavi. **5** Ego Antonium conlegam cupidum provinciae, multa in re publica molientem patientia atque obsequio meo mitigavi. Ego

provinciam Galliam senatus auctoritate exercitu et pecunia instructam et ornatam, quam cum Antonio commutavi, quod ita existimabam tempora rei publicae ferre, in contione deposui reclamante populo Romano. Ego L. Catilinam caedem senatus, interitum urbis non obscure sed palam molientem egredi ex urbe iussi ut, a quo legibus non poteramus, moenibus tuti esse possemus. Ego tela extremo mense consulatus mei intenta iugulis civitatis de coniuratorum nefariis manibus extorsi. Ego faces iam accensas ad huius urbis incendium comprehendere, protuli, extinxi. **6** Me Q. Catulus, princeps huius ordinis et auctor publici consilii, frequentissimo senatu parentem patriae nominavit. Mihi hic vir clarissimus qui propter te sedet, L. Gellius, his audientibus civicam coronam deberi a re publica dixit. Mihi togato senatus non ut multis bene gesta, sed ut nemini conservata re publica, singulari genere supplicationis deorum immortalium templa patefecit. Ego cum in contione abiens magistratu dicere a tribuno pl. prohiberer quae constitueram, cumque is mihi tantum modo ut iurarem permetteret, sine ulla dubitatione iuravi rem publicam atque hanc urbem mea unius opera esse salvam. **7** Mihi populus Romanus universus illa in contione non unius diei gratulationem sed aeternitatem immortalitatemque donavit, cum meum ius iurandum tale atque tantum iuratus ipse una voce et consensu approbavit. Quo quidem tempore is meus domum fuit e foro reditus ut nemo, nisi qui mecum esset, civium esse in numero videretur. Atque ita est a me consulatus peractus ut nihil sine consilio senatus, nihil non approbante populo Romano egerim, ut semper in rostris curiam, in senatu populum defenderim, ut multitudinem cum principibus, equestrem ordinem cum senatu coniunxerim. Exposui breviter consulatum meum.

**Text 3:** Cic. *or. frg.* 1 (ed. Schoell, 1917 (Teubner))

#### CUM QUAESTOR LILYBAEO DECEDERET TESTIMONIUM

*Pseudasc. in argum. divin. p. 185, 8 St.:* M. Tullium... ad accusandum descendere compulerunt, iam pridem illis (scil. *Siculis*) necessitudine copulatum, quod quaestor in Sicilia fuisset praetore Sex. Peducaeo et quod cum decederet in illa oratione quam Lilybaei habuit multa his benigne promississet.

...quod non detrectare militiam, sed defendere provinciam iudicata est.

**Text 4:** Plut. *Cic.* 6, 3 (ed. Ziegler, 1959 (Teubner); Übers: Ziegler, 1980 (dtv))

ἐπὶ τούτοις οὖν μέγα φρονῶν, εἰς Ῥώμην βαδίζων γελοῖόν τι παθεῖν φησι. συντυχῶν γὰρ ἀνδρὶ τῶν ἐπιφανῶν φίλῳ δοκοῦντι περὶ Καμπανίαν, ἐρέσθαι τίνα δὴ τῶν πεπραγμένων ὑπ' αὐτοῦ λόγον ἔχουσι Ῥωμαῖοι καὶ τί φρονοῦσιν, ὡς ὀνόματος καὶ δόξης τῶν πεπραγμένων αὐτῷ τὴν πόλιν ἅπασαν ἐμπεληκῶς·

Als er dann voll Stolz auf diese Leistungen nach Rom zurückreiste, hatte er, wie er erzählt, ein spasshaftes Erlebnis. Er habe in Campanien einen vornehmen Mann, den er für seinen Freund hielt, getroffen und ihn gefragt, wie die Römer über seine Leistungen redeten und über ihn dächten; denn er glaubte, er habe die ganze Stadt mit seinem Namen und dem Ruhm seiner Taten erfüllt.

**Prof. Dr. Ulrich Eigler**  
**Cicero und das Ende der römischen Republik**  
**4. Kollegstunde (13.10.11)**  
*Vivere in oculis populi Romani:*  
**Möglichkeiten und Gefahren der politischen Karriere**

**Texte:** Text 1: Cic. *Planc.* 1-3  
Text 2: Cic. *Planc.* 66

**Text 1:** Cic. *Planc.* 1-3 (ed. Clark, 1984 (OCT))

**1** Cum propter egregiam et singularem Cn. Planci, iudices, in mea salute custodienda fidem tam multos et bonos viros eius honori viderem esse fautores, capiebam animo non mediocrem voluptatem quod, cuius officium mihi saluti fuisset, ei meorum temporum memoriam suffragari videbam. Cum autem audirem meos partim inimicos, partim invidos huic accusationi esse fautores, eandemque rem adversariam esse in iudicio Cn. Plancio quae in petitione fuisset adiutrix, dolebam, iudices, et acerbe ferebam, si huius salus ob eam ipsam causam esset infestior quod is meam salutem atque vitam sua benivolentia praesidio custodiaque texisset.

**2** nunc autem vester, iudices, conspectus et consessus iste reficit et recreat mentem meam, cum intueor et contemplor unum quemque vestrum. Video enim hoc in numero neminem cui mea salus non cara fuerit, cuius non exstet in me summum meritum, cui non sim obstrictus memoria benefici sempiterna. Itaque non extimesco ne Cn. Plancio custodia meae salutis apud eos obsit qui me ipsi maxime salvum videre voluerunt, saepiusque, iudices, mihi venit in mentem admirandum esse M. Laterensem, hominem studiosissimum et dignitatis et salutis meae, reum sibi hunc potissimum delegisse quam metuendum ne vobis id ille magna ratione fecisse videatur.

**3** Quamquam mihi non sumo tantum neque adrogo, iudices, ut Cn. Plancium suis erga me meritis impunitatem consecutum putem. Nisi eius integerrimam vitam, modestissimos mores, summam fidem, continentiam, pietatem, innocentiam ostendero, nihil de poena recusabo; sin omnia praestitero quae sunt a bonis viris exspectanda, petam, iudices, a vobis ut, cuius misericordia salus mea custodita sit, ei vos vestram misericordiam me deprecante tribuatis.

**Text 2:** Cic. *Planc.* 66 (ed. Clark, 1984 (OCT))

**66** Sed ea res, iudices, haud scio an plus mihi profuerit quam si mihi tum essent omnes gratulati. Nam postea quam sensi populi Romani auris hebetiores, oculos autem esse acris atque acutos, destiti quid de me audituri essent homines cogitare; feci ut postea cotidie praesentem me viderent, habitavi in oculis, pressi forum; neminem a congressu meo neque ianitor meus neque somnus absterruit. Ecquid ego dicam de occupatis meis temporibus, cui fuerit ne otium quidem umquam otiosum? Nam quas tu commemoras, Cassi, legere te solere orationes, cum otiosus sis, has ego scripsi ludis et feriis, ne omnino umquam essem otiosus. Etenim M. Catonis illud quod in principio scripsit Originum suarum semper magnificentum et praeclarum putavi, „clarorum virorum atque magnorum non minus oti quam negoti rationem exstare oportere.“ Itaque si quam habeo laudem, quae quanta sit nescio, parta Romae est, quaesita in foro; meaque privata consilia publici quoque casus comprobaverunt, ut etiam summa res publica mihi domi fuerit gerenda et urbs in urbe servanda.

**Prof. Dr. Ulrich Eigler**  
**Cicero und das Ende der römischen Republik**  
**5. Kollegstunde (20.10.11)**  
**Pompeius: Der *global player* als *local hero***

**Texte:** Text 1: Cic. *Manil.* 22-26  
Text 2: Cic. *Manil.* 29-33

**Text 1:** Cic. *Manil.* 22-26 (ed. Clark, 1984 (OCT))

**22** Requiretur fortasse nunc quem ad modum, cum haec ita sint, reliquum possit magnum esse bellum. Cognoscite, Quirites; non enim hoc sine causa quaeri videtur. Primum ex suo regno sic Mithridates profugit, ut ex eodem Ponto Medea illa quondam profugisse dicitur, quam praedicant in fuga fratris sui membra in eis locis qua se parens persequeretur dissipavisse, ut eorum conlectio dispersa maerorque patrius celeritatem persequendi retardaret. Sic Mithridates fugiens maximam vim auri atque argenti pulcherrimarumque rerum omnium quas et a maioribus acceperat et ipse bello superiore ex tota Asia direptas in suum regnum congesserat in Ponto omnem reliquit. Haec dum nostri conligunt omnia diligentius, rex ipse e manibus effugit. Ita illum in persequendi studio maeror, hos laetitia tardavit. **23** Hunc in illo timore et fuga Tigranes, rex Armenius, excepit diffidentemque rebus suis confirmavit et adflictum erexit perditumque recreavit. Cuius in regnum postea quam L. Lucullus cum exercitu venit, plures etiam gentes contra imperatorem nostrum concitatae sunt. Erat enim metus iniectus eis nationibus quas numquam populus Romanus neque lacessendas bello neque temptandas putavit; erat etiam alia gravis atque vehemens opinio quae animos gentium barbarum pervaserat, fani locupletissimi et religiosissimi diripiendi causa in eas oras nostrum esse exercitum adductum. Ita nationes multae atque magnae novo quodam terrore ac metu concitabantur. Noster autem exercitus, tametsi urbem ex Tigrani regno ceperat et proeliis usus erat secundis, tamen nimia longinquitate locorum ac desiderio suorum commovebatur. **24** Hic iam plura non dicam; fuit enim illud extremum ut ex eis locis a militibus nostris reditus magis maturus quam processio longior quaereretur. Mithridates autem se et suam manum iam confirmarat eorum opera qui ad eum ex ipsius regno concesserant et magnis adventiciis auxiliis multorum regum et nationum iuvabatur. Iam hoc fere sic fieri solere accepimus ut regem adflictae fortunae facile multorum opes adliciant ad misericordiam, maximeque eorum qui aut reges sunt aut vivunt in regno, ut eis nomen regale magnum et sanctum esse videatur. **25** Itaque tantum victus efficere potuit, quantum incolumis numquam est ausus optare. Nam cum se in regnum suum recepisset, non fuit eo contentus quod ei praeter spem acciderat, ut illam, postea quam pulsus erat, terram umquam attingeret, sed in exercitum nostrum clarum atque victorem impetum fecit. Sinite hoc loco, Quirites, sicut poetae solent qui res Romanas scribunt, praeterire me nostram calamitatem, quae tanta fuit ut eam ad auris imperatoris non ex proelio nuntius sed ex sermone rumor adferret. **26** Hic in illo ipso malo gravissimaque belli offensione L. Lucullus, qui tamen aliqua ex parte eis incommodis mederi fortasse potuisset, vestro iussu coactus qui imperi diuturnitati modum statuendum vetere exemplo putavistis, partim militum qui iam stipendiis confecti erant dimisit, partim M'. Glabroni tradidit. Multa praetereo consulto; sed ea vos coniectura perspicite quantum illud bellum factum putetis quod coniungant reges potentissimi, renoveant agitatae nationes, suscipiant integrae gentes, novus imperator noster accipiat vetere exercitu pulso.

**Text 2:** Cic. *Manil.* 29-33 (ed. Clark, 1984 (OCT))

**29** Iam vero virtuti Cn. Pompei quae potest oratio par inveniri? Quid est quod quisquam aut illo dignum aut vobis novum aut cuiquam inauditum possit adferre? Neque enim solae sunt virtutes imperatoriae quae volgo existimantur, labor in negotiis, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in providiando, quae tanta sunt in hoc uno quanta in omnibus reliquis imperatoribus quos aut vidimus aut audivimus non fuerunt. **30** Testis est Italia quam ille ipse victor L. Sulla huius virtute et subsidio confessus est liberatam; testis est Sicilia, quam multis undique cinctam periculis non terrore belli sed consili celeritate explicavit; testis est Africa quae magnis oppressa hostium copiis eorum ipsorum sanguine redundavit; testis est Gallia per quam legionibus nostris iter in Hispaniam Gallorum internicione patefactum est; testis est Hispania, quae saepissime plurimos hostis ab hoc superatos prostratosque conspexit; testis est iterum et saepius Italia quae, cum servili bello taetro periculosoque premeretur, ab hoc auxilium absente expetivit, quod bellum exspectatione eius attenuatum atque imminutum est, adventu sublatum ac sepultum. **31** Testes nunc vero iam omnes orae atque omnes exterae gentes ac nationes, maria denique omnia cum universa tum in singulis oris omnes sinus at portus. Quis enim toto mari locus per hos annos aut tam firmum habuit praesidium ut tutus esset, aut tam fuit abditus ut lateret? Quis navigavit qui non se aut mortis aut servitutis periculo committeret, cum aut hieme aut referto praedonum mari navigaret? Hoc tantum belum, tam turpe, tam vetus, tam late divisum atque dispersum quis umquam arbitraretur aut ab omnibus imperatoribus uno anno aut omnibus annis ab uno imperatore confici posse? **32** Quam provinciam tenuistis a praedonibus liberam per hosce annos? quod vectigal vobis tutum fuit? quem socium defendistis? cui praesidio classibus vestris fuistis? quam multas existimatis insulas esse desertas? quam multas aut metu relictas aut a praedonibus captas urbis esse sociorum? Sed quid ego longinqua commemoro? Fuit hoc quondam, fuit proprium populi Romani longe a domo bellare, et propugnaculis imperi sociorum fortunas, non sua tecta defendere. Sociis ego vestris mare per hosce annos clausum fuisse dicam, cum exercitus vestri numquam a Brundisio nisi hieme summa transmiserint? Qui ad vos ab exteris nationibus venirent captos querar, cum legati populi Romani redempti sint? Mercatoribus mare tutum non fuisse dicam, cum duodecim seures in praedonum potestatem pervenerint? **33** Cnidum aut Colophonem aut Samum, nobilissimas urbis, innumerabilisque alias captas esse commemorem, cum vestros portus atque eos portus quibus vitam ac spiritum ducitis, in praedonum fuisse potestatem sciatis? An vero ignoratis portum Caietae celeberrimum ac plenissimum navium inspectante praetore a praedonibus esse direptum, ex Miseno autem eius ipsius liberos qui cum praedonibus antea bellum gesserat a praedonibus esse sublato? Nam quid ego Ostiense incommodum atque illam labem atque ignominiam rei publicae querar, cum prope inspectantibus vobis classis ea cui consul populi Romani praepositus esset a praedonibus capta atque oppressa est? Pro di immortales! tantamne unius hominis incredibilis ac divina virtus tam brevi tempore lucem adferre rei publicae potuit ut vos, qui modo ante ostium Tiberinum classem hostium videbatis, ei nunc nullam intra Oceani ostium praedonum navem esse audiatis?

**Prof. Dr. Ulrich Eigler**  
**Cicero und das Ende der römischen Republik**  
**6. Kollegstunde (27.10.11)**  
***Orationes consulares: Cicero als Konsul und Orator***

**Texte:** Text 1: Cic. *leg. agr.* 2, 5  
Text 2: Ascon. *tog. cand.* p. 82-83 Clark  
Text 3: Cic. *Att.* 2, 1, 1-3

**Text 1:** Cic. *leg. agr.* 2, 5 (ed. Clark, 1995 (OCT))

Nam vere dicam, Quirites, genus ipsum legis agrariae vituperare non possum. Venit enim mihi in mentem duos clarissimos, ingeniosissimos, amantissimos plebei Romanae viros, Ti. et C. Gracchos, plebem in agris publicis constituisse, qui agri a privatis antea possidebantur. Non sum autem ego is consul qui, ut plerique, nefas esse arbitrer Gracchos laudare, quorum consiliis, sapientia, legibus multas esse video rei publicae partis constitutas. Itaque, ut initio mihi designato consuli nuntiabatur legem agrariam tribunos plebis designatos conscribere, cupiebam quid cogitarent cognoscere; etenim arbitrabar, quoniam eodem anno gerendi nobis essent magistratus, esse aliquam oportere inter nos rei publicae bene administrandae societatem. Cum familiariter me in eorum sermonem insinuarem ac darem, celabar, excludebar, et, cum ostenderem, si lex utilis plebi Romanae mihi videretur, auctorem me atque adiutorem futurum, tamen aspernabantur hanc liberalitatem meam; negabant me adduci posse ut ullam largitionem probarem. Finem feci offerendi mei ne forte mea sedulitas aut insidiosa aut impudens videretur. Interea non desistebant clam inter se convenire, privatos quosdam adhibere, ad suos coetus occultos noctem adiungere et solitudinem. Quibus rebus quanto in metu fuerimus, ex vestra sollicitudine in qua illis temporibus fuistis facile adsequi coniectura poteritis. Ineunt tandem magistratus tribuni plebis; contio exspectatur P. Rulli, quod et princeps erat agrariae legis et truculentius se gerebat quam ceteri. Iam designatus alio voltu, alio vocis sono, alio incessu esse meditabatur, vestitu obsoletiore, corpore inculto et horrido, capillatior quam ante barbaque maiore, ut oculis et aspectu denuntiari omnibus vim tribuniciam et minitari rei publicae videretur. Legem hominis contionemque exspectabam; lex initio nulla proponitur, contionem in pridie Idus advocari iubet. Summa cum exspectatione concurritur. Explicat orationem sane longam et verbis valde bonis. Vnum erat quod mihi vitiosum videbatur, quod tanta ex frequentia inveniri nemo potuit qui intellegere posset quid diceret. Hoc ille utrum insidiarum causa fecerit, an hoc genere eloquentiae delectetur nescio. Tametsi, qui acutiores in contione steterant, de lege agraria nescio quid voluisse eum dicere suspicabantur. Aliquando tandem me designato lex in publicum proponitur.

**Text 2:** Ascon. *tog. cand.* p. 82-83 Clark (ed. Clark, 1907 (OCT))

#### ARGUMENTUM

Sex competitores in consulatus petitione Cicero habuit, duos patricios, P. Sulpicium Galbam, L. Sergium Catilinam; quattuor plebeios ex quibus duos nobiles, C. Antonium, M. Antoni oratoris filium, L. Cassium Longinum, duos qui tantum non primi ex familiis suis magistratum adepti erant, Q. Cornificium et C. Licinium Sacerdotem. Solus Cicero ex competitoribus equestri erat loco natus; atque in petitione patrem amisit. Ceteri eius

competitores modeste se gessere, visique sunt. Q. Cornificius et Galba sobrii ac sancti viri, Sacerdos nulla improbitate notus; Cassius quamvis stolidus tum magis quam improbus videretur, post paucos menses in coniuratione Catilinae esse eum apparuit ac cruentissimarum sententiarum fuisse auctorem. Itaque hi quattuor prope iacebant. Catilina autem et Antonius, quamquam omnium maxime infamis eorum vita esset, tamen multum poterant. Coierant enim ambo ut Cieronem consulatu deicerent, adiutoribus usi firmissimis M. Crasso et C. Caesare. Itaque haec oratio contra solos Catilinam et Antonium est. Causa orationis huius modi in senatu habendae Cieronem fuit quod, cum in dies licentia ambitus augetur propter praecipuam Catilinae et Antoni audaciam, censuerat senatus ut lex ambitus aucta etiam cum poena ferretur; eique rei Q. Mucius Orestinus tr. pl. intercesserat. Tum Cicero graviter senatu intercessionem ferente surrexit atque in coitionem Catilinae et Antoni invectus est ante dies comitiorum paucos.

**Text 3:** Cic. *Att.* 2, 1, 1-3 (ed. Shackleton Bailey, 1987 (Teubner))

**1** Kal. Iun. eunti mihi Antium et gladiatores M. Metelli cupide relinquenti venit obviam tuus puer. is mihi litteras abs te et commentarium consulatus mei Graece scriptum reddidit. in quo laetatus sum me aliquanto ante de isdem rebus Graece item scriptum librum L. Cossinio ad te perferendum dedisse; nam si ego tuum ante legissem, furatum me abs te esse diceres. quamquam tua illa (legi enim libenter) horridula mihi atque incompta visa sunt, sed tamen erant ornata hoc ipso quod ornamenta neglexerant, et, ut mulieres, ideo bene olere quia nihil olebant videbantur. meus autem liber totum Isocrati myrothecium atque omnis eius discipulorum arculas ac non nihil etiam Aristotelia pigmenta consumpsit. quem tu Corcyrae, ut mihi aliis litteris significas, strictim attigisti, post autem, ut arbitror, a Cossinio accepisti. quem tibi ego non essem ausus mittere nisi eum lente ac fastidiose probavissem. **2** quamquam ad me rescripsit iam Rhodo Posidonius se, nostrum illud ὑπόμνημα (cum) legere(t), quod ego ad eum ut ornatius de isdem rebus scriberet miseram, non modo non excitatum esse ad scribendum sed etiam plane deterritum. quid quaeris? conturbavi Graecam nationem. ita vulgo qui instabant ut darem sibi quod ornarent iam exhibere mihi molestiam destiterunt. tu, si tibi placuerit liber, curabis ut et Athenis sit et in ceteris oppidis Graeciae. videtur enim posse aliquid nostris rebus lucis adferre.

**3** oratiunculas autem et quas postulas et pluris etiam mittam, quoniam quidem ea quae nos scribimus adulescentulorum studiis excitati te etiam delectant. fuit enim mihi commodum, quod in eis orationibus quae Philippicae nominantur enituerat tuus ille civis Demosthenes et quod se ab hoc refractariolo iudiciali dicendi genere abiunxerat ut σεμνότερός τις et πολιτικώτερος videretur, curare ut meae quoque essent orationes quae consulares nominarentur. quarum una est in senatu Kalendis Ianuariis, altera ad populum de lege agraria, tertia de Othone, quarta pro Rabirio, quinta de proscriptorum filiis, sexta cum provinciam in contione deposui, septima qua Catilinam emisi, octava quam habui ad populum postridie quam Catilina profugit, nona in contione quo die Allobroges indicarunt, decima in senatu Nonis Decembribus. sunt praeterea duae breves, quasi ἀποσπασμάτια legis agrariae. hoc totum σῶμα curabo ut habeas; et quoniam te cum scripta tum res meae delectant, isdem ex libris perspicies et quae gesserim et quae dixerim; aut ne poposcisses. ego enim tibi me non offerebam.

**Prof. Dr. Ulrich Eigler**  
**Cicero und das Ende der römischen Republik**  
**7. Kollegstunde (03.11.11)**  
**Triumph und Fall: die *orationes Catilinae***

**Texte:** Text 1: Cic. *Catil.* 4, 20-23  
Text 2: Sall. *Catil.* 29

**Text 1:** Cic. *Catil.* 4, 20-23 (ed. Clark, 1984 (OCT))

**20** Nunc ante quam ad sententiam redeo, de me pauca dicam. Ego, quanta manus est coniuratorum, quam videtis esse permagnam, tantam me inimicorum multitudinem suscepisse video; sed eam turpem iudico et infirmam et abiectam. Quodsi aliquando alicuius furore et scelere concitata manus ista plus valuerit quam vestra ac rei publicae dignitas, me tamen meorum factorum atque consiliorum numquam, patres conscripti, paenitebit. Etenim mors, quam illi fortasse minitantur, omnibus est parata: vitae tantam laudem quanta vos me vestris decretis honestastis nemo est adsecutus, ceteris enim bene gesta, mihi uni conservata re publica gratulationem decrevistis. **21** Sit Scipio clarus ille, cuius consilio atque virtute Hannibal in Africam redire atque Italia decedere coactus est, ornetur alter eximia laude Africanus qui duas urbes huic imperio infestissimas, Karthaginem Numantiamque delevit, habeatur vir egregius Paulus ille cuius currum rex potentissimus quondam et nobilissimus Perses honestavit, sit aeterna gloria Marius qui bis Italiam obsidione et metu servitutis liberavit, anteponatur omnibus Pompeius cuius res gestae atque virtutes isdem quibus solis cursus regionibus ac terminis continentur: erit profecto inter horum laudes aliquid loci nostrae gloriae, nisi forte maius est patefacere nobis provincias quo exire possimus quam curare ut etiam illi qui absunt habeant quo victores revertantur. **22** Quamquam est uno loco condicio melior externae victoriae quam domesticae, quod hostes alienigenae aut oppressi serviunt aut recepti beneficio se obligatos putant, qui autem ex numero civium dementia aliqua depravati hostes patriae semel esse coeperunt, eos, cum a pernicie rei publicae reppuleris, nec vi coercere nec beneficio placare possis. Qua re mihi cum perditis civibus aeternum bellum susceptum esse video. Id ego vestro bonorumque omnium auxilio memoriaque tantorum periculorum, quae non modo in hoc populo, qui servatus est sed in omnium gentium sermonibus ac mentibus semper haerebit, a me atque a meis facile propulsari posse confido. Neque ulla profecto tanta vis reperietur quae coniunctionem vestram equitumque Romanorum et tantam conspirationem bonorum omnium confringere et labefactare possit.

**23** Quae cum ita sint, pro imperio, pro exercitu, pro provincia quam neglexi, pro triumpho ceterisque laudis insignibus, quae sunt a me propter urbis vestraeque salutis custodiam repudiata, pro clientelis hospitiisque provincialibus, quae tamen urbanis opibus non minore labore tueor quam comparo, pro his igitur omnibus rebus, pro meis in vos singularibus studiis proque hac quam perspicitis ad conservandam rem publicam diligentia nihil a vobis nisi huius temporis totiusque mei consulatus memoriam postulo: quae dum erit in vestris fixa mentibus, tutissimo me muro saeptum esse arbitrabor. Quod si meam spem vis inproborum fefellerit atque superaverit, commendo vobis parvum meum filium, cui profecto satis erit praesidi non solum ad salutem verum etiam ad dignitatem, si eius qui haec omnia suo solius periculo conservavit illum filium esse memineritis.



**Text 2:** Sall. *Catil.* 29 (ed. Kurfess, 1957 (Teubner))

**29** Ea cum Ciceroni nuntiarentur, ancipitii malo permotus, quod neque urbem ab insidiis privato consilio longius tueri poterat, neque exercitus Manli quantus aut quo consilio foret, satis compertum habebat, rem ad senatum refert, iam antea vulgi rumoribus exagitatam. itaque, quod plerumque in atroci negotio solet, senatus decrevit darent operam consules, ne quid res publica detrimenti caperet. ea potestas per senatum more Romano magistratui maxuma permittitur: exercitum parare, bellum gerere, coercere omnibus modis socios atque civis, domi militiaeque imperium atque iudicium summum habere; aliter sine populi iussu nullius earum rerum consuli ius est.

**Prof. Dr. Ulrich Eigler**  
**Cicero und das Ende der römischen Republik**  
**8. Kollegstunde (10.11.11)**  
*Epistula non erubescit:*  
**Ciceros Bemühen um Rechtfertigung und Rettung des Ruhmes**

**Texte:** Text 1: Cic. *fam.* 5, 12, 1-3  
Text 2: Cic. *Arch.* 26-28

**Text 1:** Cic. *fam.* 5, 12, 1-3 (ed. Shackleton Bailey, 1988 (Teubner))

M. CICERO S. D. L. LUCCEIO Q. F.

**1** Coram me tecum eadem haec agere saepe conantem deterruit pudor quidam paene subrusticus quae nunc expromam absens audacius; epistula enim non erubescit.

Ardeo cupiditate incredibili neque, ut ego arbitror, reprehendenda nomen ut nostrum scriptis illustretur et celebretur tuis. quod etsi mihi saepe ostendis te esse facturum, tamen ignoscas velim huic festinationi meae. genus enim scriptorum tuorum, etsi erat semper a me vehementer exspectatum, tamen vicit opinionem meam meque ita vel cepit vel incendit ut cuperem quam celerrime res nostras monumentis commendari tuis. neque enim me solum commemoratio posteritatis ac spes quandam immortalitatis rapit, sed etiam illa cupiditas ut vel auctoritate testimonii tui vel indicio benevolentiae vel suavitate ingenii vivi perfruamur.

**2** Neque tamen haec cum scribebam eram nescius quantis oneribus premerere susceptarum rerum et iam institutarum. sed quia videbam Italici belli et civilis historiam iam a te paene esse perfectam, dixeras autem mihi te reliquas res ordiri, deesse mihi nolui quin te admonerem ut cogitares coniunctene malles cum reliquis rebus nostra contexere an, ut multi Graeci fecerunt, Callisthenes Phocium bellum, Timaeus Pyrrhi, Polybius Numantinum, qui omnes a perpetuis suis historiis ea quae dixi bella separaverunt, tu quoque item civilem coniurationem ab hostilibus externisque bellis seiungeres. equidem ad nostram laudem non multum video interesse, sed ad properationem meam quiddam interest non te exspectare dum ad locum venias ac statim causam illam totam et tempus adripere; et simul, si uno in argumento unaque in persona mens tua tota versabitur, cerno iam animo, quanto omnia uberiora atque ornatiora futura sint.

Neque tamen ignoro, quanti impudenter faciam qui primum tibi tantum oneris imponam (potest enim mihi denegare occupatio tua), deinde etiam ut ornes me postulem. quid, si illa tibi non tanto opere videntur ornanda? **3** sed tamen, qui semel verecundiae fines transierit, eum bene et naviter oportet esse impudentem. itaque te plane etiam atque etiam rogo ut et ornes ea vehementius etiam quam fortasse sentis et in eo leges historiae negligas gratiamque illam de qua suavissime quodam in prohoemio scripsisti, a qua te flecti non magis potuisse demonstras quam Herculem Xenophontium illum a Voluptate, eam, si me tibi vehementius commendabit, ne aspernere amorique nostro plusculum etiam quam concedet veritas, largiare.

**Text 2:** Cic. *Arch.* 26-28 (ed. Clark, 1984 (OCT))

**26** Quid? a Q. Metello Pio, familiarissimo suo, qui civitate multos donavit, neque per se neque per Lucullos impetravisset? qui praesertim usque eo de suis rebus scribi cuperet ut etiam Cordubae natis poetis pingue quiddam sonantibus atque peregrinum tamen auris suas

dederet. Neque enim est hoc dissimulandum, quod obscurari non potest, sed prae nobis ferendum: trahimur omnes studio laudis, et optimus quisque maxime gloria ducitur. Ipsi illi philosophi etiam in eis libellis quos de contemnenda gloria scribunt nomen suum inscribunt; in eo ipso in quo praedicationem nobilitatemque despiciunt praedicari de se ac se nominari volunt. **27** Decimus quidem Brutus, summus vir et imperator, Acci, amicissimi sui, carminibus templorum ac monumentorum aditus exornavit suorum. Iam vero ille qui cum Aetolis Ennio comite bellavit Fulvius non dubitavit Martis manubias Musis consecrare. Qua re, in qua urbe imperatores prope armati poetarum nomen et Musarum delubra coluerunt, in ea non debent togati iudices a Musarum honore et a poetarum salute abhorre.

**28** Atque ut id libentius faciatis, iam me vobis, iudices, indicabo, et de meo quodam amore gloriae nimis acri fortasse verum tamen honesto vobis confitebor. Nam quas res nos in consulatu nostro vobiscum simul pro salute huius *urbis* atque imperi et pro vita civium proque universa re publica gessimus, attigit hic versibus atque inchoavit: Quibus auditis, quod mihi magna res et iucunda visa est, hunc ad perficiendum adornavi. Nullam enim virtus aliam mercedem laborum periculorumque desiderat praeter hanc laudis et gloriae; qua quidem detracta, iudices, quid est quod in hoc tam exiguo vitae curriculo et tam brevi tantis non in laboribus exerceamus?

**Prof. Dr. Ulrich Eigler**  
**Cicero und das Ende der römischen Republik**  
**9. Kollegstunde (17.11.11)**  
***Res publica amissa?: Cicero im Rom des Pompeius***

**Texte:** Text 1: Cic. *rep.* 1, 42-47  
Text 2: Cic. *Att.* 2, 6, 1  
Text 3: Cic. *Att.* 4, 8 (9)  
Text 4: Cic. *Att.* 4, 18 (20)

**Text 1:** Cic. *rep.* 1, 42-47 (ed. Ziegler, 1969 (Teubner))

**42** Deinde aut uni tribuendum est, aut delectis quibusdam, aut suscipiendum est multitudini atque omnibus. quare cum penes unum est omnium summa rerum, regem illum unum vocamus, et regnum eius rei publicae statum. cum autem est penes delectos, tum illa civitas optimatum arbitrio regi dicitur. illa autem est civitas popularis—sic enim appellant—, in qua in populo sunt omnia. atque horum trium generum quodvis, si teneat illud vinculum quod primum homines inter se rei publicae societate devinxit, non perfectum illud quidem neque mea sententia optimum, sed tolerabile tamen, et aliud (ut) alio possit esse praestantius. nam vel rex aequus ac sapiens, vel delecti ac principes cives, vel ipse populus, quamquam id est minime probandum, tamen nullis interiectis iniquitatibus aut cupiditatibus posse videtur aliquo esse non incerto statu.

**43** Sed et in regnis nimis expertes sunt ceteri communis iuris et consilii, et in optimatum dominatu vix particeps libertatis potest esse multitudo, cum omni consilio communi ac potestate careat, et cum omnia per populum geruntur quamvis iustum atque moderatum, tamen ipsa aequabilitas est iniqua, cum habet nullos gradus dignitatis. itaque si Cyrus ille Perses iustissimus fuit sapientissimusque rex, tamen mihi populi res — ea enim est ut dixi antea publica — non maxime expetenda fuisse illa videtur, cum regeretur unius nutu † ac modo; si Massilienses nostri clientes per delectos et principes cives summa iustitia reguntur, inest tamen in ea condicione populi similitudo quaedam servitutis; si Athenienses quibusdam temporibus sublato Areopago nihil nisi populi scitis ac decretis agebant, quoniam distinctos dignitatis gradus non habebant, non tenebat ornatum suum civitas.

**44** Atque hoc loquor de tribus his generibus rerum publicarum non turbatis atque permixtis, sed suum statum tenentibus. quae genera primum sunt in iis singula vitiis quae ante dixi, deinde habent perniciose alia vitia; nullum est enim genus illarum rerum publicarum, quod non habeat iter ad finitimum quoddam malum praiceps ac lubricum. nam illi regi, ut eum potissimum nominem, tolerabili aut si voltis etiam amabili Cyro subest ad inmutandi animi licentiam crudelissimus ille Phalaris, cuius in similitudinem dominatus unius proclivi cursu et facile delabatur. illi autem Massiliensium paucorum et principum administrationi civitatis finitimus est qui fuit quodam tempore apud Athenienses triginta (virorum illorum) consensus et factio. iam Atheniensium populi potestatem omnium rerum ipsi, ne alios requiramus, ad furorem multitudinis licentiamque conversam pesti

[*Excidit quaternionis VIII. folium septimum.*]

**45** (Scipio) „taeterrimus, et ex hac vel optimatum vel factiosa tyrannica illa vel regia vel etiam persaepe popularis, itemque ex ea genus aliquod eflorescere ex illis quae ante dixi solet, mirique sunt orbes et quasi circuitus in rebus publicis commutationum et vicissitudinum; quos cum cognosse sapientis est, tum vero prospicere inpendentis, in gubernanda re publica moderantem cursum atque in sua potestate retinentem, magni

cuiusdam civis et divini paene est viri. itaque quartum quoddam genus rei publicae maxime probandum esse sentio, quod est ex his quae prima dixi moderatum et permixtum tribus.“

**46** Hic Laelius: „scio tibi ita placere Africane: saepe enim ex te audivi; sed tamen, nisi molestum est, ex tribus istis modis rerum publicarum velim scire quod optimum iudices. nam vel profuerit aliquid ad cog \*“

[*Excidit quaternionis X. folium primum.*]

**47** (Scipio) „et talis est quaeque res publica, qualis eius aut natura aut voluntas qui illam regit. itaque nulla alia in civitate, nisi in qua populi potestas summa est, ullum domicilium libertas habet; qua quidem certe nihil potest esse dulcius, et quae si aequa non est ne libertas quidem est. qui autem aequa potest esse — omitto dicere in regno, ubi ne obscura quidem est aut dubia servitus, sed in istis civitatibus in quibus verbo sunt liberi omnes? ferunt enim suffragia, mandant inperia magistratus, ambiuntur, rogantur, sed ea dant [magis] quae etiamsi nolint danda sint, et quae ipsi non habent unde ali petunt; sunt enim expertes imperii, consilii publici, iudicii delectorum iudicum, quae familiarum vetustatibus aut pecuniis ponderantur. in libero autem populo, ut Rhodi, ut Athenis, nemo est civium qui \*

[*Excidit quaternionis X. folium tertium.*]

**Text 2:** Cic. *Att.* 2, 6, 1 (ed. Shackleton Bailey, 1987 (Teubner))

CICERO ATTICO SAL.

Quod tibi superioribus litteris promiseram, fore ut opus exstaret huius peregrinationis, nihil iam magno opere confirmo; sic enim sum complexus otium ut ab eo divelli non queam. itaque aut libris me delecto, quorum habeo Anti festivam copiam, aut fluctus numero (nam ad lacertas captandas tempestates non sunt idoneae); a scribendo prorsus abhorret animus. etenim γεωγραφικὰ quae constitueram magnum opus est. ita valde Eratosthenes, quem mihi proposueram, a Serapione et ab Hipparcho reprehenditur. quid censes si Tyrannio accesserit? et hercule sunt res difficiles ad explicandum et ὁμοειδεῖς nec tam possunt ἀνθηρογραφεῖσθαι quam videbantur et, quod caput est, mihi quaevis satis iusta causa cessandi est, qui etiam dubitem an hic Anti considam et hoc tempus omne consumam, ubi quidem ego mallet duumvirum quam Romae fuisse.

**Text 3:** Cic. *Att.* 4, 8 (9) (ed. Shackleton Bailey, 1987 (Teubner))

CICERO ATTICO SAL.

**1** Multa me in epistula tua delectarunt sed nihil magis quam patina tyrotarichi. nam de raudusculo quod scribis, „μήπω μέγ’ εἴπης πρὶν τελευτήσαντ’ ἴδης.“

Aedificati tibi in agris nihil reperio. in oppido est quiddam, de quo est dubium sitne venale, ac proximum quidem nostris aedibus. hoc scito, Antium Buthrotum esse Romae ut Corcyrae illud tuum. nihil quietius, nihil alsius, nihil amoenius. †ειμησιτω† φίλος (οἶκος).

**2** postea vero, quam Tyrannio mihi libros disposuit, mens addita videtur meis aedibus. qua quidem in re mirifica opera Dionysi et Menophili tui fuit. nihil venustius quam illa tua pegmata, postquam sittybae libros inlustrarunt. vale.

et scribas mihi velim de gladiatoribus, sed ita bene si rem gerunt; non quaero, male si se gesserunt.

**Text 4:** Cic. *Att.* 4, 18 (20) (ed. Shackleton Bailey, 1987 (Teubner))

(CICERO ATTICO SAL.)

\* \* \* nunc ut opinionem habeas †rerum†, ferendum est. quaeris ego me ut gesserim. constanter et libere. „ille,“ inquires „ut ferebat?“ humaniter meaeque dignitatis quoad mihi satis factum esset, habendam sibi rationem putabat. quo modo ergo absolutus? omnino πρῶτα πρῦμα accusatorum incredibilis infantia, id est L. Lentuli L. f., quem fremunt omnes praevaricatum, deinde Pompei mira contentio, iudicum sordes. ac tamen XXXII condemnarunt XXXVIII absolverunt. iudicia reliqua impendent. nondum est plane expeditus.

**2** Dices „tu ergo haec quo modo fers?“ belle me hercule et in eo me valde amo. amisimus, mi Pomponi, omnem non modo sucum ac sanguinem sed etiam colorem et speciem pristinae civitatis. nulla est res publica quae delectet, in qua acquiescam. „idne igitur“ inquires „facile fers?“ id ipsum. recordor enim quam bella paulisper nobis gubernantibus civitas fuerit, quae mihi gratia relata sit. nullus dolor me angit unum omnia posse; dirumpuntur ii qui me aliquid posse doluerunt. multa mihi dant solacia, nec tamen ego de meo statu demigro, quaeque vita maxime est ad naturam, ad eam me refero, ad litteras et studia nostra. dicendi laborem delectatione oratoria consolor. domus me et rura nostra delectant. non recordor unde ceciderim sed unde surrexerim. fratrem mecum et te si habebo, per me isti pedibus trahantur; vobis ἐμφιλοσοφῆσαι possum. locus ille animi nostri stomachus ubi habitabat olim concalluit; privata modo et domestica nos delectent, miram securitatem videbis; cuius plurimae me hercule partes sunt in tuo reditu. nemo enim in terris est mihi tam consentientibus sensibus.

**3** Sed accipe alia. res fluit ad interregnum, et est non nullus odor dictaturae, sermo quidem multus; qui etiam Gabinium apud timidos iudices adiuvit. candidati consulares omnes rei ambitus. accedit etiam Gabinius, quem P. Sulla non dubitans quin foris esset, postularat, contra dicente et nihil obtinente Torquato. sed omnes absolventur, nec posthac quisquam damnabitur nisi qui hominem occiderit. hoc tamen agitur severius, itaque indicia calent. M. Fulvius Nobilior condemnatus est; multi alii urbani ne respondent quidem.

**4** quid aliud novi? etiam: absoluto Gabinio stomachantes alii iudices hora post Antiochum Gabinium nescio quem (de) Sopolidis pictoribus libertum, accensum Gabini, lege Papia condemnarunt. itaque dixit statim †res p. lege maiestatis ουσομρισημαφιη†. Pomptinus vult a. d. VI Non. Nov. triumphare. huic obviam Cato et Servilius praetor(es) ad portam et Q. Mucius tribunus. negant enim latum de imperio, et est latum hercule insulse. sed erit cum Pomptino Appius consul. Cato tamen adfirmat se vivo illum non triumphaturum. id ego puto ut multa eiusdem ad nihil(um) recasurum. Appius sine lege suo sumptu in Ciliciam cogitat.

**5** A Quinto fratre et a Caesare accepi a. d. VIII Kal. Nov. litteras datas a litoribus Britanniae proximae a. d. VI Kal. Oct. confecta Britannia, obsidibus acceptis, nulla praeda, imperata tamen pecunia exercitum ex Britannia reportabant. Q. Pilius erat iam ad Caesarem profectus.

Tu, si aut amor in te est nostri ac tuorum aut ulla veritas, aut si etiam sapis ac frui tuis commodis cogitas, adventare et prope adesse iam debes. non mehercule aequo animo te careo; te autem quid mirum, qui Dionysium tanto opere desiderem? quem quidem abs te, cum dies venerit, et ego et Cicero meus flagitabit. abs te proximas litteras habebam Epheso a. d. V Id. Sext. datas.

**Prof. Dr. Ulrich Eigler**  
**Cicero und das Ende der römischen Republik**  
**10. Kollegstunde (24.11.11)**  
**Tanz auf dem Vulkan: Cicero in Kilikien und Caesar am Rubicon**

**Texte:** Text 1: Cic. *Att.* 5, 1  
Text 2: Cic. *fam.* 2, 10  
Text 3: Cic. *Att.* 7, 11

**Text 1:** Cic. *Att.* 5, 1 (ed. Shackleton Bailey, 1987 (Teubner))

CICERO ATTICO SAL.

**1** Ego vero et tuum in discessu vidi animum et meo sum ipse testis; quo magis erit tibi videndum ne quid novi decernatur, ut hoc nostrum desiderium ne plus sit annum.

**2** De Anno Saturnino, curasti probe. de satis dando vero, te rogo, quoad eris Romae, tu ut satis des; et sunt aliquot satisfactiones secundum mancipium, veluti Mennianorum praediorum vel Atilianorum. de Oppio, factum est (ut) volui, et maxime quod de) DCCC aperuisti; quae quidem ego utique vel versura facta solvi volo, ne extrema exactio nostrorum nominum exspectetur.

**3** Nunc venio ad transversum illum extremae epistulae tuae versiculum in quo me admones de sorore. quae res se sic habet: ut veni in Arpinas, cum ad me frater venisset, in primis nobis sermo isque multus de te fuit; ex quo ego veni ad ea quae fueramus ego et tu inter nos de sorore in Tusculano locuti. nihil tam vidi mite, nihil tam placatum quam tum meus frater erat in sororem tuam, ut, etiam si qua fuerat ex ratione sumpta offensio, non appareret. ille sic dies. postridie ex Arpinati profecti sumus. ut in Arcano Quintus maneret dies fecit; ego Aquini, sed prandimus in Arcano (nosti hunc fundum). quo ut venimus, humanissime Quintus „Pomponia” inquit „tu invita mulieres, ego vero ascivero pueros.” nihil potuit, mihi quidem ut visum est, dulcius, idque cum verbis tum etiam animo ac vultu. at illa audientibus nobis „ego ipsa sum” inquit „hic hospita”; id autem ex eo, ut opinor, quod antecesserat Staius ut prandium nobis videret. tum Quintus „en” inquit mihi, „haec ego patior cottidie”. **4** dices „quid, quaeso, istuc erat?” magnum; itaque me ipsum commoverat; sic absurde et aspere verbis vultuque responderat. dissimulavi dolens. discubimus omnes praeter illam, cui tamen Quintus de mensa misit; illa reiecit. quid multa? nihil meo fratre lenius, nihil asperius tua sorore mihi visum est; et multa praetereo quae tum mihi maiori stomacho quam ipsi Quinto fuerunt. ego inde Aquinum. Quintus in Arcano remansit et Aquinum ad me postridie mane venit mihi que narravit nec secum illam dormire voluisse et cum discessura esset fuisse eius modi qualem ego vidissem. quid quaeris? vel ipsi hoc dicas licet, humanitatem ei meo iudicio illo die defuisse. haec ad te scripsi, fortasse pluribus quam necesse fuit, ut videres tuas quoque esse partis instituendi et monendi.

**5** Reliquum est ut ante quam proficiscare mandata nostra exhaurias, scribas ad me omnia, Pomptinum extrudas, cum profectus eris cures ut sciam, sic habeas, nihil mehercule te mihi nec carius esse nec suavius.

A. Torquatam amantissime dimisi Minturnis, optimum virum; cui me ad te scripsisse aliquid in sermone significes velim.

**Text 2:** Cic. *fam.* 2, 10 (ed. Shackleton Bailey, 1988 (Teubner))

M. CICERO IMP. S. D. M. CAELIO AEDILI CURULI DESIGNATO

**1** Tu vide quam ad me litterae non perferantur! non enim possum adduci ut abs te, postea quam aedilis es factus, nullas putem datas, praesertim cum esset tanta res tantae

gratulationis, de te quia quod sperabam, de Hillo (balbus enim sum) quod non putaram. atqui sic habeto, nullam me epistulam accepisse tuam post comitia ista praeclara quae me laetitia extulerunt; ex quo vereor ne idem eveniat in meas litteras. equidem numquam domum misi unam epistulam quin esset ad te altera, nec mihi est te iucundius quicquam nec carius.

**2** Sed (balbi non sumus) ad rem redeamus. ut optasti, ita est. velles enim, ais, tantum modo ut haberem negoti quod esset ad laureolam satis; Parthos times quia diffidis copiis nostris. ergo ita accidit. Nam Parthico bello nuntiato locorum quibusdam angustiis et na(tu)ra montium fretus ad Amanum exercitum adduxi satis probe ornatum auxiliis et quadam auctoritate apud eos qui me non norant nominis nostri. multum est enim in his locis: „hicine est ille qui urbem...? quem senatus...?“ nosti cetera. cum venissem ad Amanum, qui mons mihi cum Bibulo communis est divisus aquarum divertiis, Cassius noster, quod mihi magnae voluptati fuit, feliciter ab Antiochea hostem reiecerat, Bibulus provinciam acceperat.

**3** Interea cum meis copiis omnibus vexavi Amaniensis, hostis sempiternos. multi occisi capti, reliqui dissipati. castella munita improviso adventu capta et incensa. ita victoria iusta imperator appellatus apud Issum, quo in loco, saepe ut ex te audivi, Clitarchus tibi narravit Dareum ab Alexandro esse superatum, abduxi exercitum ad infestissimam Ciliciae partem. ibi quintum et vicensimum iam diem aggeribus, vineis, turribus oppugnabam oppidum munitissimum, Pindenissum, tantis opibus tantoque negotio ut mihi ad summam gloriam nihil desit nisi nomen oppidi. Quod si, ut spero, cepero, tum vero litteras publice mittam. **4** Haec ad te in praesentia) scripsi ut sperares te adsequi id quod optasses.

Sed ut redeam ad Parthos, haec aestas habuit hunc exitum satis felicem; ea quae sequitur magno est in timore. Qua re, mi Rufe, vigila, primum ut mihi succedatur; sin id erit, ut scribis et ut ego arbitror, spissius, illud quod facile est, ne quid mihi temporis prorogetur. de re publica ex tuis litteris, ut antea tibi scripsi, cum praesentia tum etiam futura magis exspecto. qua re ut ad me omnia quam diligentissime perscribas te vehementer rogo.

**Text 3:** Cic. *Att.* 7, 11 (ed. Shackleton Bailey, 1987 (Teubner))

CICERO ATTICO SAL.

**1** Quaeso, quid est hoc? aut quid agitur? mihi enim tenebrae sunt. „Cingulum“ inquit „nos tenemus, Anconem amisimus; Labienus discessit a Caesare.“ utrum de imperatore populi Romani an de Hannibale loquimur? o hominem amentem et miserum, qui ne umbram quidem umquam τοῦ καλοῦ viderit! atque haec ait omnia facere se dignitatis causa. ubi est autem dignitas nisi ubi honestas? honestum igitur habere exercitum nullo publico consilio, occupare urbis civium quo facilior sit aditus ad patriam, χρεῶν ἀποκοπᾶς, φυγάδων καθόδου, sescenta alia scelera moliri, „τὴν θεῶν μεγίστην ὥστ’ ἔθειν τυραννίδα?“ sibi habeat suam fortunam! unam me hercule tecum apricationem in illo lucrativo tuo sole malim quam omnia istius modi regna, vel potius mori miliens quam semel illius modi quicquam cogitare. **2** „quid si tu velis?“ inquis. age, quis est cui velle non liceat? sed ego hoc ipsum velle miserius esse duco quam in crucem tolli. una res est ea miserior, adipisci quod ita volueris. sed haec hactenus; libenter enim in his molestiis ἐνσχολάζω σοι.

**3** Redeamus ad nostrum. per fortunas, quale tibi consilium Pompei videtur? hoc quaero, quid urbem reliquerit; ego enim ἀπορῶ. tum nihil absurdius. urbem tu relinquant? ergo idem, si Galli venirent? „non est“ inquit „in parietibus res publica.“ at in aris et focis. „fecit Themistocles.“ fluctum enim totius barbariae ferre urbs una non poterat. at idem Pericles non fecit annum fere post quinquagesimum, cum praeter moenia nihil teneret. nostri olim urbe reliqua capta arcem tamen retinuerunt. „οὕτως που τῶν πρόσθεν ἐπευθόμεθα κλέα ἀνδρῶν.“ **4** rursus autem ex dolore municipali sermonibusque eorum quos convenio



videtur hoc consilium exitum habiturum. mira hominum querela est (nescio istic, sed facies ut sciam) sine magistratibus urbem esse, sine senatu. fugiens denique Pompeius mirabiliter homines movet. quid quaeris? alia causa facta est. nihil iam concedendum putant Caesari. haec tu mihi explica qualia sint.

**5** ego negotio praesum non turbulento; vult enim me Pompeius esse quem tota haec Campania et maritima ora habeat ἐπίσκοπον, ad quem dilectus et summa negoti referatur; itaque vagus esse cogitabam. te puto iam videre quae sit ὁρμή Caesaris, qui populus, qui totius negoti status. ea velim scribas ad me et quidem, quoniam mutabilia sunt, quam saepissime. acquiesco enim et scribens ad te et legens tua.

**Prof. Dr. Ulrich Eigler**  
**Cicero und das Ende der römischen Republik**  
**11. Kollegstunde (01.12.11)**  
**Der Weise und der Mächtige:**  
**Ciceros zweiter Rückzug in das *otium***

**Texte:** Text 1: Cic. *Att.* 13, 12 (24)  
Text 2: Cic. *fin.* 3, 73-76

**Text 1:** Cic. *Att.* 13, 12 (24) (ed. Shackleton Bailey, 1987 (Teubner))

(CICERO ATTICO SAL.)

**1** Valde me momorderunt [epistulae] tuae de Attica nostra; eadem tamen sanaverunt. quod enim te ipse consolabare eisdem litteris, id mihi erat satis firmum ad leniendam aegritudinem.

**2** Ligarianam praeclare vendidisti. posthac quicquid scripsero tibi praeconium deferam. **3** quod ad me de Varrone scribis, scis me antea orationes aut aliquid id genus solitum scribere ut Varronem nusquam possem intexere. postea autem quam haec coepi φιλολογβώτερα, iam Varro mihi denuntiaverat magnam sane et gravem προσφώνησιν. biennium praeteriit cum ille Καλλιππίδης adsiduo cursu cubitum nullum processerit. ego autem me parabam ad id quod ille mihi misisset ut „αὐτῷ τῷ μέτρῳ καὶ λώϊον“, si modo potuissem; nam hoc etiam Hesiodus ascribit, „αἰ κε δύνηαι.“ nunc illam „περὶ Τελῶν σύνταχιν sane mihi probatam Bruto, ut tibi placuit, despondimus, idque tu eum non nolle mihi scripsisti. ergo illam „Ἀκαδημικήν, in qua homines nobiles illi quidem sed nullo modo philo(l)ogi nimis acute loquuntur, ad Varronem transferamus. etenim sunt Antiochia, quae iste valde probat. Catulo et Lucullo alibi reponemus, ita tamen si tu hoc probas; deque eo mihi rescribas velim.

**4** De Brinniana auctione accepi a Vestorio litteras. ait sine ulla controversia rem ad me esse collatam. Romae videlicet aut in Tusculano me fore putaverunt a. d. VIII Kal. Quint. dices igitur vel amico tuo Suettio, coheredi meo vel Labeoni nostro paulum proferant auctionem; me circiter Nonas in Tusculano fore. (tu) cum Pisone Erotem habes. de Scapulanis hortis toto pectore cogitemus. dies adest.

**Text 2:** Cic. *fin.* 73-76 (ed. Magnaldi, Alessandria 2008)

**73** „Physicae quoque non sine causa tributus idem est honos propterea quod, qui convenienter naturae victurus sit, ei proficiscendum est ab omni mundo atque ab eius procuratione. nec vero potest quisquam de bonis et malis vere iudicare nisi omni cognita ratione naturae et vitae etiam deorum, et utrum conveniat necne natura hominis cum universa. quaeque sunt vetera praecepta sapientium, qui iubent „tempori parere“ et „sequi deum“ et „se noscere“ et „nihil nimis“, haec sine physicis quam vim habeant – et habent maximam – videre nemo potest. atque etiam ad iustitiam colendam, ad tuendas amicitias et reliquas caritates quid natura valeat haec una cognitio potest tradere. nec vero pietas adversus deos nec quanta iis gratia debeatur sine explicatione naturae intellegi potest.

**74** Sed iam sentio me esse longius provectum, quam proposita ratio postularet, verum admirabilis compositio disciplinae incredibilisque rerum me traxit ordo. (...) quid enim in natura, qua nihil est aptius, nihil decriptius, aut in operibus manu factis tam compositum inveniri potest? quid posterius priori non convenit? quid sequitur, quod non respondeat

superiori? quid non sic aliud ex alio nectitur, ut si ullam litteram moveris, labent omnia? nec tamen quicquam est, quod moveri possit.

**75** Quam gravis vero, quam magnifica, quam constans conficitur persona sapientis! qui, cum ratio docuerit, quod honestum esset, id esse solum bonum, semper sit necesse est beatus vereque omnia ista nomina possideat, quae irrideri ab inperitis solent. rectius enim appellabitur rex quam Tarquinius, qui nec se nec suos regere potuit, rectius magister populi – is enim est dictator – quam Sulla, qui trium pestiferorum vitiorum, luxuriae, avaritiae, crudelitatis, magister fuit, rectius dives quam Crassus, qui nisi eguisset, numquam Euphraten nulla belli causa transire voluisset. recte eius omnia dicentur, qui scit uti solus omnibus, recte etiam pulcher appellabitur – animi enim liniamenta sunt pulchriora quam corporis –, recte solus liber nec dominationi cuiusquam parens nec oboediens cupiditati, recte invictus, cuius etiamsi corpus constringatur, animo tamen vincula inici nulla possint,

**76** nec expectet ullum tempus aetatis, uti tum denique iudicetur beatusne fuerit, cum extremum vitae diem morte confecerit, quod ille unus e septem sapientibus non sapienter Croesum monuit; nam si beatus umquam fuisset, beatam vitam usque ad illum a Cyro extractum rogam pertulisset. quod si ita est, ut neque quisquam nisi bonus vir et omnes boni beati sint, quid philosophia magis colendum aut quid est virtute divinius?‘‘

**Prof. Dr. Ulrich Eigler**  
**Cicero und das Ende der römischen Republik**  
**12. Kollegstunde (08.12.11)**  
**Zwischen *oratio consularis* und *laudatio funebris*:**  
**Die letzte Rede Ciceros**

**Texte:** Text 1: Cic. *Phil.* 14, 31-35  
Text 2: Cic. *fam.* 11, 20  
Text 3: Cic. *off.* 2, 1-4

**Text 1:** Cic. *Phil.* 14, 31-35 (ed. Magnaldi, Alessandria 2008)

**31** Quorum de honore utinam mihi plura in mentem venirent! Duo certe non praeteribo quae maxime occurrunt: quorum alterum pertinet ad virorum fortissimorum gloriam sempiternam, alterum ad leniendum maerorem et luctum proximorum. Placet igitur mihi, patres conscripti, legionis Martiae militibus et eis qui una pugnant occiderint monumentum fieri quam amplissimum. Magna atque incredibilia sunt in rem publicam huius merita legionis. Haec se prima latrocinio abrupit Antoni; haec tenuit Albam; haec se ad Caesarem contulit; hanc imitata quarta legio parem virtutis gloriam consecuta est. Quarta victrix desiderat neminem: ex Martia non nulli in ipsa victoria conciderunt. O fortunata mors quae naturae debita pro patria est potissimum reddita! **32** Vos vero patriae natos iudico; quorum etiam nomen a Marte est, ut idem deus urbem hanc gentibus, vos huic urbi genuisse videatur. In fuga foeda mors est; in victoria gloriosa. Etenim Mars ipse ex acie fortissimum quemque pignerari solet. Illi igitur impii quos cecidistis etiam ad inferos poenas parricidi luent; vos vero qui extremum spiritum in victoria effudistis piorum estis sedem et locum consecuti. Brevis a natura vita vobis data est; at memoria bene redditae vitae sempiterna. Quae si non esset longior quam haec vita, quis esset tam amens qui maximis laboribus et periculis ad summam laudem gloriamque contenderet? **33** Actum igitur praeclare vobiscum, fortissimi, dum vixistis, nunc vero etiam sanctissimi milites, quod vestra virtus neque oblivione eorum qui nunc sunt nec reticentia posterorum sepulta esse poterit, cum vobis immortale monumentum suis paene manibus senatus populusque Romanus extruxerit. Multi saepe exercitus Punicis, Gallicis, Italicis bellis clari et magni fuerunt, nec tamen ullis tale genus honoris tributum est. Atque utinam maiora possemus, quando quidem a vobis maxima accepimus! Vos ab urbe furentem Antonium avertistis; vos redire molientem repulistis. Erit igitur exstructa moles opere magnifico incisaeque litterae, divinae virtutis testes sempiternae, numquam de vobis eorum qui aut videbunt vestrum monumentum aut audient gratissimus sermo conticescet. Ita pro mortali condicione vitae immortalitatem estis consecuti.

**34** Sed quoniam, patres conscripti, gloriae munus optimis et fortissimis civibus monumenti honore persolvitur, consolemur eorum proximos, quibus optima est haec quidem consolatio: parentibus quod tanta rei publicae praesidia genuerunt; liberis quod habebunt domestica exempla virtutis; coniugibus, quod iis viris carebunt, quos laudare quam lugere praestabit; fratribus quod in se ut corporum, sic virtutis similitudinem esse confident. Atque utinam his omnibus abstergere fletum sententiis nostris consultisque possemus, vel aliqua talis eis adhiberi publice posset oratio qua deponerent maerorem atque luctum gauderentque potius, cum multa et varia impenderent hominibus genera mortis, id genus quod esset pulcherrimum suis obtigisse eosque nec inhumatos esse nec desertos, quod tamen ipsum pro patria non miserandum putatur, nec dispersis bustis humili sepultura crematos, sed contactos publicis operibus atque muneribus eaque extractione quae sit ad

memoriam aeternitatis ara Virtutis. **35** Quam ob rem maximum quidem solacium *erit* propinquorum eodem monumento declarari et virtutem suorum et populi Romani pietatem et senatus fidem et crudelissimi memoriam belli: in quo nisi tanta militum virtus exstisset, parricidio M. Antoni nomen populi Romani occidisset. Atque etiam censeo, patres conscripti, quae praemia militibus promisimus nos re publica reciperata tributuros, ea vivis victoribusque cumulate, cum tempus venerit, persolvenda; qui autem ex eis quibus illa promissa sunt pro patria occiderunt, eorum parentibus, liberis, coniugibus, fratribus eadem tribuenda censeo.

**Text 2:** Cic. *fam.* 11, 20 (ed. Shackleton Bailey, 1988 (Teubner))

D. BRUTUS S. D. M. CICERONI.

**1** Quod pro me non facio, id pro te facere amor meus in te tuaque officia cogunt, ut timeam. saepe enim mihi cum esset dictum neque a me contemptum, novissime Labeo Segulius, homo sui simillimus, narrat mihi apud Caesarem se fuisse multumque sermonem de te habitum esse; ipsum Caesarem nihil sane de te questum nisi dictum quod diceret te dixisse laudandum adolescentem, ornandum, tollendum; se non esse commissurum ut tolli possit. hoc ego Labeonem credo illi rettulisse aut finxisse dictum, non ab adolescente prolatum. veteranos vero pessime loqui volebat Labeo me credere et tibi ab iis instare periculum, maximeque indignari quod in decem viris neque Caesar neque ego habiti essemus atque omnia ad vestrum arbitrium esset collata.

**2** Haec cum audissem et iam in itinere essem, committendum non putavi prius ut Alpes transgrederer quam quid istic ageretur scirem. nam de tuo periculo, crede mihi iactatione verborum et denuntiatione periculi sperare eos te pertimefacto, adolescente impulso, posse magna consequi praemia, et totam istam cantilenam ex hoc pendere ut quam plurimum lucri faciant. neque tamen non te cautum esse volo et insidias vitantem. nihil enim tua mihi vita potest esse iucundius neque carius. **3** illud vide, ne timendo magis timere cogare, et (tamen,) quibus rebus potest occurri veteranis, occurras: primum, quod desiderant de decem viris facias; deinde de praemiis, si tibi videtur, agros eorum militum qui cum Antonio veterani fuerunt iis dandos censeas ab utriusque nobis. de nummis lente ac ratione habita pecuniae; senatum de ea re constituturum. quattuor legionibus iis quibus agros dandos censuistis, video facultatem fore ex agris †silani† et agro Campano. aequaliter aut sorte agros legionibus assignari puto oportere.

**4** Haec me tibi scribere non prudentia mea hortatur sed amor in te et cupiditas oti, quod sine te consistere (non) potest. ego, nisi valde necesse fuerit, ex Italia non excedam. legiones armo, paro. spero me non pessimum exercitum habiturum ad omnes casus et impetus hominum. de exercitu quem Pansa habuit legionem mihi Caesar non remittit.

Ad has litteras statim mihi rescribe turoumque aliquem mitte, si quid reconditum magis erit meque scire opus esse putaris.

VIII(K) Kal. Iun. Eporedia.

**Text 3:** Cic. *off.* 2, 1-4 (ed. Winterbottom, 1994 (OCT))

**1** Quemadmodum officia ducerentur ab honestate, Marce fili, atque ab omni genere virtutis, satis explicatum arbitror libro superiore. Sequitur ut haec officiorum genera persequar, quae pertinent ad vitae cultum et ad earum rerum quibus utuntur homines facultatem, ad opes, ad copias; in quo tum quaeri dixi quid utile, quid inutile, tum ex

utilibus quid utilius aut quid maxime utile. De quibus dicere adgrediar, si pauca prius de instituto ac de iudicio meo dixerō.

**2** Quamquam enim libri nostri complures non modo ad legendi sed etiam ad scribendi studium excitaverunt, tamen interdum vereor ne quibusdam bonis viris philosophiae nomen sit invisum, mirenturque in ea tantum me operae et temporis ponere. Ego autem, quam diu res publica per eos gerebatur quibus se ipsa commiserat, omnes meas curas cogitationesque in eam conferebam. Cum autem dominatu unius omnia tenerentur, neque esset usquam consilio aut auctoritati locus, socios denique tuendae rei publicae summos viros amissem, nec me angoribus dedidi, quibus essem confectus, nisi iis restitsem, nec rursus indignis homine docto voluptatibus. **3** Atque utinam res publica stetisset quo coeperat statu, nec in homines non tam commutandarum quam evertendarum rerum cupidos incidisset! Primum enim, ut stante re publica facere solebamus, in agendo plus quam in scribendo operae poneremus, deinde ipsis scriptis non ea quae nunc sed actiones nostras mandarem, ut saepe fecimus. Cum autem res publica, in qua omnis mea cura cogitatio opera poni solebat, nulla esset omnino, illae scilicet litterae conticuerunt forenses et senatoriae. **4** Nihil agere autem cum animus non posset, in his studiis ab initio versatus aetatis existimavi honestissime molestias posse deponi si me ad philosophiam retulissem. Cui cum multum adulescens discendi causa temporis tribuissem, posteaquam honoribus inservire coepi meque totum rei publicae tradidi, tantum erat philosophiae loci quantum superfuerat amicorum et rei publicae tempori. Id autem omne consumebatur in legendo, scribendi otium non erat.

**Prof. Dr. Ulrich Eigler**  
**Cicero und das Ende der römischen Republik**  
**13. Kollegstunde (15.12.11)**  
**Tod und Verklärung: Ciceros Weg in die Geschichte**

**Texte:** Text 1: Cic. *ad Caes. iun.* 23 B (Watt)  
Text 2: Livius bei Sen. *suas.* 6, 17  
Text 3: Petrarca. *Fam.* 24, 3  
Text 4: Petrarca. *Fam.* 24, 4

**Text 1:** Cic. *ad Caes. iun.* 23 B (ed. Watt, 1958 (OCT)) = Non. 436.17

„Ignoscere“ et „concedere“ quem ad modum inter se distent aperit M. Tullius ad Caesarem iuniorem lib. II: Quod mihi et Philippo vacationem das, bis gaudeo; nam et prateritis ignoscis et concedis futura.

**Text 2:** Livius bei Sen. *suas.* 6, 17 (ed. Hakanson, Leipzig 1989)

M. Cicero sub adventum triumvirorum urbe cesserat pro certo habens, id quod erat, non magis Antonio (se) eripi quam Caesari Cassium et Brutum posse.

Primo in Tusculanum fugerat, inde transversis itineribus in Formianum ut a Caieta navem conscensurus proficiscitur. Unde aliquoties in altum provectum cum modo venti adversi rettulissent, modo ipse iactationem navis caeco volente fluctu pati non posset, taedium tandem eum et fugae et vitae cepit regressusque ad superiorem villam, quae paulo plus mille passibus a mari abest, „moriar“ inquit „in patria saepe servata“. Satis constat servos fortiter fideliterque paratos fuisse ad dimicandum;

ipsum deponi lecticam et quietos pati, quod sors iniqua cogeret, iussisse. Prominenti ex lectica praebentique immotam cervicem caput praecisum est. Nec satis stolidae crudelitati militum fuit: manus quoque scripsisse aliquid in Antonium exprobrantes praeciderunt. Ita relatum caput ad Antonium iussuque eius inter duas manus in rostris positum, ubi ille consul, ubi saepe consularis, ubi eo ipso anno adversus Antonium quanta nulla umquam humana vox cum admiratione eloquentiae auditus fuerat. Vix attollentes (madentes) lacrimis oculos homines intueri trucidata membra cuius poterant.

**Text 3:** Petrarca. *Fam.* 24, 3 (ed. Bosco, Firenze 1942)

Franciscus Ciceroni suo salutem. Epystolas tuas „diu multumque perquisitas“ atque ubi minime rebar inventas, avidissime perlegi. Audivi multa te dicente, multa deplorantem, multa variantem, Marce Tulli, et qui iam pridem qualis preceptor aliis fuisses noveram, nunc tandem quis tu tibi esses agnovi. Unum hoc vicissim a vera caritate profectum non iam consilium sed lamentem audi, ubicunque es, quod unus posteriorum, tui nominis amantissimus, non sine lacrimis fundit. O inquiete semper atque anxie, vel ut verba tua recognoscas, „o preceps et calamitose senex“, quid tibi tot contentionibus et prorsum nichil profuturis simultatibus voluisti? Ubi et etati et professioni et fortune tue conveniens otium reliquisti? Quis te falsus glorie splendor senem adolescentium bellis implicuit et per omnes iactatum casus ad indignam philosopho mortem rapuit? Heu et fraterni consilii immemor et tuorum tot salubrium preceptorum, ceu nocturnus viator lumen in tenebris gestans,

ostendisti secuturis callem, in quo ipse satis miserabiliter lapsus es. Omitto Dyonisium, omitto fratrem tuum ac nepotem, omitto, si placet, ipsum etiam Dolabellam, quos nunc laudibus ad celum effers, nunc repentinis malidictis laceras: fuerint hec tolerabilia fortassis. Iulium quoque Cesarem pretervehor, cuius spectata clementia ipsa lacessentibus portus erat; Magnum preterea Pompeium sileo, cum quo iure quodam familiaritatis quidlibet posse videbare. Sed quis te furor in Antonium impegit? Amor credo reipublice, quam funditus iam corruisse fatebaris. Quodsi pura fides, si libertas te trahebat, quid tibi tam familiare cum Augusto? Quid enim Bruto tuo responsurus es? „Siquidem“ inquit, „Octavius tibi placet, non dominum fugisse sed amiciosem dominum quesisse videberis“. Hoc restabat, infelix, et hoc erat extremum, Cicero, ut huic ipsi tam laudato malidiceret, qui tibi non dicam malifaceret, sed malifacientibus non obstaret. Doleo vicem tuam, amice, et errorum pudet ac miseret, iamque cum eodem Bruto „his artibus nichil tribuo, quibus te instructissimum fuisse scio“. Nimirum quid enim iuvat alios docere, quid ornatissimis verbis semper de virtutibus loqui prodest, si te interim ipse non audias? Ah quanto satius fuerat philosopho presertim in tranquillo rure senuisse, de „perpetua illa“, ut ipse quodam scribis loco, „non de hac iam exigua vita cogitantem“, nullos habuisse fasces, nullis triumphis inhiasse, nullos inflasse tibi animum Catilinas. Sed hec quidem frustra. Eternum vale, mi Cicero.

Apud superos, ad dexteram Athesis ripam, in civitate Verona Tranpadane Italie, XVI Kalendas Quintiles, anno ab ortu Dei illius quem tu non noveras, MCCCXLV.

**Text 4:** Petrarca. *Fam.* 24, 4 (ed. Bosco, Firenze 1942)

Franciscus Ciceroni suo salutem. Si te superior offendit epystola - verum est enim, ut ipse soles dicere, quod ait familiaris tuus in Andria:

Obsequium amicos, veritas odium parit -,

accipe quod offensum animum ex parte mulceat, ne semper odiosa sit veritas; quoniam veris reprehensionibus irascimur, veris laudibus delectamur. Tu quidem, Cicero, quod pace tua dixerim, ut homo vixisti, ut orator dixisti, ut philosophus scripsisti; vitam ego tuam carpsi, non ingenium non linguam, ut qui illud mirer, hanc stupeam; neque tamen in vita tua quicquam praeter constantiam requiro, et philosophice professioni debitum quietis studium et a civilibus bellis fugam, extincta libertate ac sepulta iam et complorata republica. Vide ut aliter tecum ago ac tu cum Epycuro multis in locis sed expressius in libro *De Finibus* agebas; cuius enim ubilibet vitam probas, rides ingenium. Ego nichil in te rideo, vite tantum compatio, ut dixi; ingenio gratulor eloquio ve. O romani eloquii summe parens, nec solus ego, sed omnes tibi gratias agimus, quicumque latine linguae floribus ornatur; tuis enim prata de fontibus irrigamus, tuo ducatu directos, tuis suffragiis adiutos. tuo nos lumine illustratos ingenue profitemur; tuis denique, ut ita dicam, auspiciis ad hanc, quantulacunque est, scribendi facultatem ac propositum pervenisse. Accessit et alter poetice vie dux; ita enim necessitas poscebat, ut esset et quem solutis et quem fraenatis gressibus preuntem sequeremur, quem loquentem, quem canentem miraremur, quoniam cum bona venia amborum, neuter ad utrunque satis erat, ille tuis equoribus, tu illius impar angustiis. Non ego primus hoc dicerem fortasse, quamvis plane sentirem; dixit hoc ante me, seu ab aliis scriptum dixit, magnus quidem vir Annaeus Seneca Cordubensis, cui te, ut idem ipse conqueritur, non etas quidem sed bellorum civilium furor eripuit; videre te potuit, sed non vidit, magnus tamen operum tuorum atque illius alterius laudator; apud hunc ergo quisque, suis eloquentie finibus circumscriptus college suo cedere iubetur in reliquis. Verum expectatione torqueo; quisnam dux ille sit, queris. nosti hominem, si modo nominis meministi: Publius Virgilius Maro est, mantuanus civis, de quo egregie vaticinatus es. Cum enim, ut scriptum legimus, iuvenile quoddam eius opusculum miratus,



quaesivisses auctorem eumque iuvenem iam senior vidisses, delectatus es, et de inexhausto eloquentie tue fonte, cum propria quidem laude permixtum, verum tamen preclarumque ac magnificum illi testimonium reddidisti. Dixisti enim:

Magne spes altera Rome.

Quod dictum ex ore tuo auditum, adeo sibi placuit inseditque memorie, ut illud post annos viginti, te pridein rebus huinanis exempto, divino operi suo eisdem penitus verbis insereret, quod opus si videre licuisset letatus esses, de primevo flore tam certum te venturi fructus praesagium concepisse; necnon et latinis gratulatus musis, quod insolentibus graiis vel reliquissent ambiguum vel certam victoriam abstulissent. Utriusque eniun sententiae auctores sunt: te, si ex libris animum tuum novi, quem nosse michi non aliter quam si tecum vixissem videor, ultime assertorem futurum, ut que in oratoria dedisti, sic in poetica palmam Latio daturum, atque ut *Eneydi* cederet *Ylias* iussurum fuisse non dubito, quod iam ab initio virgiliani laboris Propertius asseverare non timuit. Ubi enim pyerii operis fundamenta contemplatus est, quid de illis sentiret, et quid speraret aperte pronunciavit his versibus:

Cedite romani scriptores, cedite graii;  
Nescio quid maius nascitur Yliade.

Hec de altero Latine duce facundie, magneque Romne spe altera; nunc ad te revertor.

Quid de vita, quid de ingenio tuo sentiam, audisti. Expectas audire de libris tuis quem illos exceperit fortuna, quam seu vulgo seu doctioribus probentur? Extant equidem praeclara volumina, que ne dicam perlegere, sed nec enumerare sufficimus. Fama rerum tuarum celeberrima atque ingens et sonorum nomen; perrari autem studiosi, seu temporum adversitas seu ingeniorum hebetudo et segnitias, seu, quod magis arbitror, alio cogens animos cupiditas causa est. Itaque librorum aliqui, nescio quidem an irreparabiliter, nobis tamen qui nunc vivimus, nisi fallor, periire; magnus dolor meus, magnus saeculi nostri pudor, magna posteritatis iniuria. Neque enim satis infame visum est ingenia nostra negligere, nequid inde fructuosum perciperet sequens etas, nisi laboris etiam vestri fructum crudeli prorsus et intoleranda corrupissemus incuria; profecto namque quod in tuis conqueror, et in multis virorum illustrium libris accidit. Tuorum sane, quia de his michi nunc sermo erat, quorum insignior iactura est, hec sunt nomina: reipublicae, rei familiaris, rei militaris, de laude philosophiae, de consolatione, de gloria, quamvis de his ultimis spes michi magis dubia, quam desperatio certa sit. Quin et superstium librorum magnas partes amisimus, ut velut ingenti prelio oblivionis et ignaviae superatis, duces nostros non extinctos modo sed truncos quoque vel perditos necesse sit lugere. Hoc enim et in aliis multis, sed in tuis maximo oratoriis, atque academicorum et legum libris patimur, qui ita truncati fedatique evaserunt, ut prope melius fuerit periire.

Reliquum est ut urbis Rome ac romane reipublice statum audire velis, que patrie facies, que civium concordia, ad quos rerum summa pervenerit, quibus manibus quantoque consilio frena tractentur imperii; Hister ne et Ganges, Hiberus, Nilus et Tanais limites nostri sint, an vero quisquam surrexerit

Imperium Oceano, famam qui terminet astris,

aut

super et Garamantas et Indos  
*Proferat imperium,*

ut amicus ille tuus Mantuanus ait. Hec et his similia cupidissime auditurum te auguror; id michi pietas tua suggerit et amor erga patriam usque in tuam perniciem notissimus. Verum enimvero tacere melius fuerit; crede enim michi, Cicero, si quo in statu res nostre sint audieris, excident tibi lacrimae, quamlibet vel coli vel erebi partem tenes. Eternum vale.

Apud superos, ad sinistram Rodani ripam in Transalpine Gallie eodem anno, XIV Kalendas Ianuarias.